
6

[illegible]




COMMENTARII IN THRENOS ET ORATIONEM IEREMIÆ PROPHETÆ,

A DOCTORE SEBASTIANO à Costa, de Andrada, Olysiponensi, olim Collega in Regio D. Pauli Collegio Conimbricensis Academiæ: nunc verò Metropolitanæ Ecclesiæ Eborensis Canonico Magistrali.

CVM INDICE RERVM NEC non locorum sacræ Scripturæ.

Opus nunc primùm in lucem editum.






LVGDVNI,
Sumptibus Horatij Cardon.
M. DCIX.





ILLVSTRISSIMO ALFONSO FVRTADO, DE MENDOÇA, SVPREMO

Hiſpaniarum Regis à Conſiliis ac Tribunalis conſcientiæ eiuſdem Regis pręſidi digniſſimo, Doctor Sebaſtianus à Coſta, de Andrada, Canonicus Magiſtralis Eccleſiæ Eborenſis, æternam in Domino exoptat felicitatem.

ATHENIENSES, *olim diuino afflati ſpiritu lacrymas veluti pretioſum munus immortali Deo offerebant: illis enim paſcitur diuina bonitas, illis mirandum in modum recreatur; illas*

 à nobis

à nobis mirabili pietatis affectu in Sacris literis exigit ipse Deus. Nãque cùm lacrymæ torrentes aquarum appellentur, illud est discrimen maximum inter lacrymas, & cæteras aquas, quòd istæ in locis frigidissimis, vtpote in media aëris regione, & terrarum cauernis genitæ, suo pondere deorsum trahantur: illæ verò in cordibus, dolore aut amore flagrantibus, procreatæ, mole sua vsque adeo volent, vt sphæras cælestes interdum transcendisse videantur. Ad illas quippe respexisse arbitror Regem Dauidem, cùm Psalmo centesimo quadragesimo quinto inquit, Aquæ omnes quæ supra cœlos sunt, laudent nomen Domini. *Magna planè vis lacrymarum, quippe cùm è terra in altum salientes,*

tes,

tes, ſupra cælorum cardinem mirabiliter collocentur. Vnde eleganter, vt ſolet, comparans D. Ambroſius virtutem orationis cum efficacia lacrymarum, inquit, Oratio lenit, ſed lacryma cogit: *nam lacrymæ tacitæ quodammodo preces ſunt; ideoq́; quod fleri ſolet, verbis explicari non ſolet. Sic videmus, in ſacra pagina, D. Petrum, quia egreſſus foras fleuit amarè, beatámque Magdalenam, quia Domini pedes lacrymis rigauit, nullum interea amoris aut doloris emiſiſſe verbum: At D. Paulum, in ſua conuerſione, quoniam, via Damaſci, circumfuſus micantiſsimo diuini iubaris ſplendore, flere non potuit, ad ſolitæ eloquentiæ flumen recurriſſe. In pectore quidem humano aliqui Philoſophorum feneſtram*

stram desiderabant, qua cordis affectus introspicere possemus, verumtamen non intuebantur, miro naturæ opificio cælatas in vultu duas pulcherrimas ianuas, per quas cor ipsum non tam guttatim diffunditur quàm mirabiliter inspicitur. Si enim D. Cypriano credimus, lacrymæ sunt fideles animorum legati, qui à corde per oculos in amoris aut doloris significationem mittuntur. Hinc est, quòd, cùm Christi Optimi Maximi è cruce pendentis oculorum lumina, non tam mortis caligine quàm hominum desiderio, clauderentur, diuinum cor amoris iaculis transfossum, veluti legatione fungens ad nos, in lacrymarum profluuium resolueretur. Pretiosæ itaque sunt lacrymæ, pretiosum lacrymarum munus. Hæc

ratio

ratio me impulit, Alfonse illustrissime, ut tibi lacrymas, hoc est, librum commentariorum, in Threnos & Orationem Jeremiæ Prophetæ, plenum lacrymarum & lamentationum, offerrem. Enimvero semper fuisti mearum rerum præsidium, & decus, quando nostra Conimbricensis Academia olim sub te floruit. Te duce & rectore non solùm literarum publica certamina cum gloria & honore superaui, sed etiam ad omnes Academicos gradus, & laureas ascendi: te quoque fautore, cùm in regio D. Pauli Collegio militarem, Eborensis Ecclesiæ Magistralem cathedram vnanimi doctorum suffragio & conspiratione, veluti de manu tua accepi. Iure igitur ad te lacrymas, veluti fideles animi mei legatos, mitto, vt

in illis me non tam gratum pro acceptis beneficiis, quàm perpetuo obsequij vinculo astrictum agnoscere possis. Accipe igitur, Illustrißime vir, diuinum lacrymarum nectar, animorum legatos, miseriarum nostrarum exemplar, studij nostri labores, pauperis munus: nostrúmque libellum, veluti de lacrymis factum, autoris nomine te consalutantem, per lege, dum maiora in lucem edere festinamus, illúmque à calumniis hominum, & inuidiæ dentibus, dextera tua virtute defende. Vale.

AD



AD BENEVOLVM LECTOREM.

SI quis fortè miratur, post excusum nostrum quæstionarium variæ Theologiæ, sacrúmque librum specialium officiorum Ecclesiæ Eborensis, à Sede Apostolica approbatum; ante aliquos Sacrę Scripturæ Commẽtarios, quos præ manibus habemus, hos funebres ac lacrymabiles, in Threnos, & orationem Ieremiæ Prophetæ, in lucem primò exire, mirari desinat. Imitamur quippe naturæ humanæ conditionem, quę editos in lucem homines, miseriarum auspicio,

primùm

primùm gemere ac lacrymari docet. Nec his temporibus deest lacrymarum materia; cernimus enim nostram Lusitaniã, ac Hispaniam (vt nihil interim de aliis terrarum orbis regnis loquar) iisdem fere sceleribus, quibus olim Ierosolyma laborabat, miserè coinquinatã. Nam virtus in dies debilitatur, silent leges, iudicia conculcantur, pietas refrigescit, ambitio serpit, adulatio exultat, inuidia regnat, luxus dominatur: ideóque si non Ieremiæ spiritu, saltem Ieremię lacrymis, ne Ierosolymę instar ab alto culmine nostra Hispania ruat (quod omẽ Deus auertat) mirandum in modum perhorresco. Si verò

hic

hic noſter labor contemnatur, Ieremias quoque ventura mala deplorans, irriſus & contēptus eſt. Poſtulatur autem hic noſter liber ab inſigni Typographo Lugdunenſi Horatio Cardon, quo tempore ſumus implicati diu noctúque innumeris propemodum negotiis huius Eccleſię Eborenſis per obitũ excellentiſsimi Pontificis Alexandri nuper vacantis, cuius gubernaculum tenemus. Verumtamen ea eſt Typographi diligentia, vt quos ego animâduertere ortographię errores non poſſum, ille pro ſua ſingulari eruditione corrigat, & emendet. Si tamen aliqui deprehendantur, pius lector beneuolè indulgeat.

Antonij

Antonij Roderici Syluerij, Canonici Eborensis, Concanonico suo, autori huius operis.

EPIGRAMMA.

Isacidûm fletus, obscuráque signa futuri
Criminis, & culpæ damna soluta suæ,
Quid Costa exponis? tua quid facundia priscos
Exprimit, & nostris questubus vna silet?
Lamentare diu, & tristes conuerte querelas,
In mala quæ passim tempora nostra ferunt,
Lysiadûm in casus, & lamentabile regnum,
Quod non dat meritis præmia digna tuis.

Eiusdem eidem aliud.

Si nimium oblectant animos lamenta sonoris
Cantibus, & vocum dulcia facta modis:
Plus eadem oblectant obscura oracula vatis,
Illustrata tuis, lætáque facta, notis.

Ferdi

Ferdinandi Correæ, de Lacerda, eidem Aliud.

Si canis illacrymans, cur non pia corda mouebis?
Orpheus hoc mouit Tartara nigra sono.
Has lacrymas olim læuo dedit omine Vates,
Has renouas: faxit, sint meliore, Deus:
Concinis illacrymans, & erunt lamenta supremo
Grata polo, &, quamuis tristia, grata solo.

Licentiati Ioannis Guterres epigramma, in laudem operis.

Cernere Rhetoricas optat quicunque figuras,
Multorúmque breui margine dicta Patrum:
Nasonis, Senecæ, recreant quem docta Maronis
Carmina, quem Cicero, quē loca mira iuuant:
Hoc opus euoluat, quo flosculа mille videbit:
Vnum pro cunctis, & satis, istud erit.

Epi

Epigramma Francisci Cœlij.

Isacidûm atroces doluit scripsitq; ruinas,
Qui fuit ex vtero sanctificatus homo:
Irrorans faciem lacrymis defleuit ademptum
Imperium, & populi perdita sceptra sui:
Vatis opus veteres clara virtute micantes,
Et pariter literis exposuêre Patres:
Ast sine luce loci obscuri mansêre tot annos,
Solem expectando, Doctor, A Costa, tuum.

Licentiati Antonij Gomes, In laudem auctoris Epigramma.

Mystica quæ vatis dempto velamine mōstras,
E turba poterit noscere quisque rudi:
Quæ lamentorum causæ nos antè latebant,
Te nobis posthac erudiente patent.
Debemus solam vati tam obscura canenti
Materiem; formam, docte Sebaste, tibi.

LEGI

LEGI hos Commentarios in Threnos & Orationem Ieremiæ Prophetæ, autore Doctore Sebastiano à Costa, de Andrada: nihil habent quod fidei Orthodoxæ, aut bonis moribus contradicat; quin potiùs affirmo opus esse mira eruditione & vtilitate refertum, ac proinde dignum vt typis mandetur. Olysipone, in Conuentu Sancti Dominici, 14. Octobris, 1608.


Frater EMANVEL COELHO.

Visa informatione possunt typis mandari hi Commentarij. Olysipone, 15. Octobris, 1608.

Marcus Teixeira.

Bartholomeus da Fonsequa.

Rodericus Pires da Veiga.



QVÆSTIONES PROOEMIALES IN THRENOS IEREMIÆ PROPHETÆ.



Quis fuerit huius operis author?

PRÆCELLENTISSIMVS vates Ieremias fuit sacerdos, de genere sacerdotum, qui habitabant in terra Benjamin, cõtra Septentrionem, in viculo Anathot, tribus ab Ierusalem distante milliaribus; sanctificatus in matris vtero, vt ex exordio primi capitis suæ prophetiæ satis colligitur. Virginitatem perpetuò coluit, qua, vt inquit D. Hieronymus, Euangelicũ virum Ecclesiæ dedicauit; à pueritia prophetauit, officiúmque prophetandi, quod pro ætate se non posse sustinere autumabat, detestatus est, eâdem verecundia qua & Moyses: Exod. 4. tenuis ac gracilis vocis se esse dixit. Et quamuis, apud Hebræos, Isaia videatur esse *rusticior*, quia fortè simplicitas eloquij, ei à loco, in quo natus est, accidit; tamen nulli prophetarum fuit

D. *Hieron.*

Exod. 4.

inferior, sed sensibus Isaiæ semper par, cæterorum verò facilè princeps; quippe qui annis quadraginta prophetauit, captiuitatémque vrbis atque Iudæ non solùm spiritu, sed & oculis intuitus fuit. Denique, apud Taphnas, in Ægypto à populo lapidibus obrutus, occubuit: iacet verò in eo loco sepultus, quo dudum Pharao Rex habitauerat; & quoniam postulatione sua diffugatis ab eodem loco serpentibus, Ægyptios à tactu aspidum facit esse securos, magna eum ibi religione Ægyptij venerantur.

Quo tempore, & ad quos Ieremias vaticinatus fuerit.

VT res clariùs agnoscatur, altiùs à capite repetenda est. Postquàm enim tempore Roboam, filij Salomonis, ob duram eius ad populum responsionem, diuisum est Hebræorum imperium in duo regna: decem tribus adhæserunt Ieroboam, filio Nabath; reliquæ verò duæ, hoc est, Iuda & Benjamin, manserunt cum Roboam: illud appellatum est regnum Israel, hoc regnum Iuda. Regni Israelis caput fuit Samaria, regni verò Iuda, Ierusalem. Vlteriùs, quoniam omnes Hebræi, præcipuis anni solemnitatibus, Ierosolymam, religionis causâ, conuenire lege tenebantur, timens vehementer Ieroboam, ne si decem tribus Ierusalem conuenirent, ad Roboam, vtpote legitimum regem, confugerent, præcepit fieri duos vitulos aureos, posuítque

vnum

vnum in Bethel,alterũ in Dan,erexítque phana in excelsis,constitutis sacerdotibus de extremis populis,qui non erant de filiis Leui,decretísque diebus, imperauit populo ne ascenderet Ierosolymam,sed vitulos illos adoraret, vt habetur 3. Reg.cap. 12. Vnde effectum est vt decem tribus illæ,illarúmque Reges idolatræ fuerint. *3. Reg.ca.12.*

Quomodo autem regnum Israel finem fecerit,habetur 4. Reg. cap. 17. enimvero Salmanazar Rex Assyriorum ascendens aduersus Oseam Regem Israel, fecit sibi tributarium, cúmque ille rebellaret, rediit iterum Salmanazar, & capta Samaria transtulit decem tribus in Assyrios, posuítque eos in ciuitatibus Medorum, ac pro eis transtulit in Samariam Babylonios, qui Samariæ regnum incolerent. Cùm verò hi à leonibus dilacerarentur, diuinitus immissis, credens rex id euenire quòd sacras cæremonias Iudæorum ignorarent, misit sacerdotem Iudæum, qui eos sacris imbueret. Vnde effectum est vt partim Hebræis partim Babylonicis ritibus viuerent, proindeque, vt schismatici, à Iudæis Samaritani habebantur. *4.Reg.c.17.*

Porro regnum Iuda centum, & triginta, & tres annos,& mensibus sex vlteriùs perdurauit. Nam postquam regnum Israel cecidit sub Osea, regnauit in Ierusalem Ezechias,post quem consecuti sunt reges Iuda, Manasses, Amon,Iosias, Ioachas, Eleachim, siue Ioachim, & Sedechias, in cuius quidem imperij anno nono Nabuchdonosor Rex Babylonis imperij sui anno decimonono cepit Ierusalem, captámque vrbem, cum templo augustissimo, incendit, & regem Se-

 dechiam,

dechiam,occisis filiis,erutis deinde oculis,duxit captiuum in Babylonem, cum omnibus Hebræis,relictis in vrbe solùm vinitoribus,& agricolis, vt refertur 4. Reg.cap. 25. Atque ita finitum esse regnum Iuda, durauítque captiuitas septuaginta annis, quousque Cyrus rex Persarum fecit potestatem Iudæis abeundi in patriam sub duce Zorobabele; iuxta ea quæ habentur 2. Esdræ cap. 1. & 2.

4.Reg.ca.25.

2.Esdr.cap.1. & 2.

D. Hieron.
Clem. Alex.
D. Aug.

His præiactis fundamentis, sciendum est, ex sententia D. Hieronymi, 1. cap. in Ieremiam, Clementis Alex.lib. 1. Stromatum, D. Aug. 10. de Ciuitate Dei, Prophetarum alios prophetasse ante captiuitatem tam decem quàm duarum tribuum, vt Iosiam, Ioelem, & Oseam; alios post captiuitatem, vt Danielem, & Aggæum, & Zachariam; alios in ipsa captiuitate duarum tribuum in Babylone, vt ipsum Danielem, & Ezechielem. At verò post captiuitatem decem tribuum, finitúmque regnum Israel, & ante captiuitatem duarum tribuum, finémque regni Iuda, prophetauit noster insignis Propheta Ieremias simul cum Nahum, & Sophonia. Prophetare autem cœpit Ieremias, puer adhuc, anno decimotertio Iosiæ filij Amon regis Iuda, prophetauítque in imperio eius annis 19. & postea sub Ioachim, filio eius, annis vndecim; & sub Sedechia; qui vltimus fuit regum Iuda, annis vndecim, vsque ad quintum mensem, quando à Babyloniis capta est Ierusalem.

In eo autem admirabilis resplenduit clementia Domini, quòd iam captiuitate vicina, & Babylonio exercitu vallante Ierusalem, nihilominus

nus per verba Ieremiæ populum ad pœnitentiam prouocabat, malens saluare conuersos, quàm perdere delinquentes. Itaque iuxta computationem D. Hieronymi, sanctus Ieremias ab exordio suæ prophetiæ vsque ad captiuitatem Ierusalem, in qua & ipse captus est, prophetauit annis 41. præter illud tempus quo apud Taphnas in Ægypto prophetauit. Illud est tamen cum Nicolao de Lyra initio commentariorum in cap. 3. Threnorum, obseruandum, Ieremiam priùs vidisse visione intellectuali & prophetica, vrbis incendium, populíque ruinam, & sic eam in scriptis deplorasse, antequam re eueniret: Deinde, tractu temporis visione corporali expertum fuisse eandem ruinam, atque desolationem, & tunc protulisse cum lacrymis & singultibus, quod priùs scripserat per modum lugubris carminis. *D. Hieron.* *Lyra.*

Argumentum operis.

PROSEQVITVR Ieremias lamentis & singultibus miserandam peruersi populi ruinam; desolationem perfidæ ciuitatis Ierusalem, olim opulentissimæ; captiuitatem Sedechiæ, quem Nabuchdonosor, Rex Chaldæorum, occisis priùs filiis, erutis deinde oculis, catenis ligatum, triumphantis more duxit captiuum, Babylonem; mortem quoque Iosiæ Regis Iuda; super quem non solùm Ieremias, sed omnes cantores, atque cantatrices vsque ad præsentem diem lamentationes replicant; ac denique non tam plo-

rando quàm vaticinando lamentatur, euersionem Ierosolymæ futuram per Romanos, tempore Titi & Vespasiani, in vltionem Dominici sanguinis, quem crudeliter effudit, dum post sanguinem Prophetarum, ipsum quoque hæredem gloriæ trucidauit. Ita namque prophetauerat
Daniel ca. 9. Daniel, cap. 9. dicens: *post hebdomadas sexaginta quatuor occidetur Christus, & non erit eius populus, qui eum negaturus est, & ciuitatem, & sanctuarium dissipabit populus cum iudice venturo. & finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio.*

Prior autem desolatio per Chaldæos facta, figura fuit posterioris desolationis factæ per Romanos. Quanto autem grauius fuit peccatum occidentium Christum Dominum, peccato idololatriæ, propter quod prior desolatio accidit, tanto grauior atque diuturnior erit posterior vastitas. Illud enim per septuaginta annorum spatium durauit: hæc durat vsque in hodiernam diem, nec spes est vlla reuocationis,
Ierem. 30. iuxta illud Ieremiæ 30. *Curationis vtilitas non est*
Isai. 1. *tibi*, & cap. 1. Isaiæ: *vulnus & liuor, & plaga tumens.*

Ante acerbissimam mortem Christi Domini, castigabat Deus Ierusalem velut pater, & ideò percutiens sanabat: sic enim cùm capta esset Ierusalem ab Assyriis, ab Antiocho, à Pompeio; semper fuit postea recuperata: sed postquam Dominum gloriæ Iudæi crucifixerunt, iam non vt pater in ædificationem, sed vt hostis in destructionem miseram percussit ciuitatem. Iuuat maximè in confirmationem huius sententiæ, quòd cùm priorem desolationem vtpote leuiorem Prophetæ lamentati fuerint: posteriorem

rem tamen, vt grauiorem; Deus ipse factus homo deplorauerit; videns enim (inquit Lucas cap. 19.) ciuitatem, fleuit super illam dicens: *Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te vndique, & ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem.* Et Luc. 23. baiulans sibi crucem in montem Christus Dominus, conuersus ad mulieres ipsum lamentantes, dixit; *Filiæ Ierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros, quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ steriles, & ventres, qui non genuerunt.* Allegoricè verò lamentatur Propheta Ieremias Ecclesiæ damna, animarúmque ruinam spiritualem per peccatum.

Luc 19. *Luc 23.*

Quòd hæc scriptura sit Canonica.

Licet in Concilio Tridentino sess. 4. hæc scriptura nominatim non exprimatur, comprehenditur tamen sub operibus Ieremiæ, quæ omnia sunt Canonica, ac de fide. Illam verò legunt Iudæi in sua Synagoga, nona die mensis, *Ab*, respondentis nostro, *Iulio*, quoniam eo die Ierusalem cum templo augustissimo succensa est, totúsque cecidit Israel, vt notarunt, Genebrardus in Kalendario Hebræorum, & Figuerius, Canonicus regularis cœnobij sanctæ crucis, cap. 1. in lamentationes Ieremiæ.

Concil. Trid. *Genebrard.* *Figuerius.*

rando quàm vaticinando lamentatur euersionem Ierosolymæ futuram per Romanos, tempore Titi & Vespasiani, in vltionem Dominici sanguinis, quem crudeliter effudit, dum post sanguinem Prophetarum, ipsum quoque hæredem gloriæ trucidauit. Ita namque prophetauerat

Daniel ca. 9. Daniel, cap. 9. dicens: *post hebdomadas sexaginta quatuor occidetur Christus, & non erit eius populus, qui eum negaturus est, & ciuitatem, & sanctuarium dissipabit populus cum iudice venturo, & finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio.*

Prior autem desolatio per Chaldæos facta, figura fuit posterioris desolationis factæ per Romanos. Quanto autem grauius fuit peccatum occidentium Christum Dominum, peccato idololatriæ, propter quod prior desolatio accidit, tanto grauior atque diuturnior erit posterior vastitas. Illud enim per septuaginta annorum spatium durauit: hæc durat vsque in hodiernam diem, nec spes est vlla reuocationis,

Ierem. 30. iuxta illud Ieremiæ 30. *Curationis vtilitas non est*

Isai. 1. *tibi*, & cap. 1. Isaiæ: *vulnus & liuor, & plaga tumens.*

Ante acerbissimam mortem Christi Domini, castigabat Deus Ierusalem velut pater, & ideò percutiens sanabat: sic enim cùm capta esset Ierusalem ab Assyriis, ab Antiocho, à Pompeio; semper fuit postea recuperata: sed postquam Dominum gloriæ Iudæi crucifixerunt, iam non vt pater in ædificationem, sed vt hostis in destructionem miseram percussit ciuitatem. Iuuat maximè in confirmationem huius sententiæ, quòd cùm priorem desolationem vtpote leuiorem Prophetæ lamentati fuerint: posteriorem

rem tamen, vt grauiorem, Deus ipse factus homo deplorauerit; videns enim (inquit Lucas cap. 19.) ciuitatem, fleuit super illam dicens: *Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te vndique, & ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem.* Et Luc. 23. baiulans sibi crucem in montem Christus Dominus, conuersus ad mulieres ipsum lamentantes, dixit; *Filiæ Ierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros, quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ steriles, & ventres, qui non genuerunt.* Allegoricè verò lamentatur Propheta Ieremias Ecclesiæ damna, animarúmque ruinam spiritualem per peccatum.

Luc 19. *Luc 23.*

Quòd hæc scriptura sit Canonica.

LICET in Concilio Tridentino sess. 4. hæc scriptura nominatim non exprimatur, comprehenditur tamen sub operibus Ieremiæ, quæ omnia sunt Canonica, ac de fide. Illam verò legunt Iudæi in sua Synagoga, nona die mensis, *Ab*, respondentis nostro, *Iulio*, quoniam eo die Ierusalem cum templo augustissimo succensa est, totúsque cecidit Israel, vt notarunt, Genebrardus in Kalendario Hebræorum, & Figuerius, Canonicus regularis cœnobij sanctæ crucis, cap. 1. in lamentationes Ieremiæ.

Concil. Trid. *Genebrard.* *Figuerius.*

Expositio tituli.

SEPTVAGINTA interpretes, per modum proœmij, apposuerunt illa verba ad continuandam sententiam cum capitulis sequentibus: *Et factum est, postquam in captiuitatem reductus est Israel, & Ierusalem in desertum, sedit Ieremias flens, & lamentatus est lamentationem hanc super Ierusalem, & dixit:* Quomodo sedet &c. Quibus verbis tempus, author, & operis materia, circa quã, exprimitur. In Hebræo autem hic liber nullum habet titulum; Rabbini tamen titulum faciunt *Cinoth* quod Græcè *Threnos* Latinè autem, *lamentationes*, interpretamur. Quemadmodum enim in Scriptura sacra Cantica Canticorum reperiuntur, ita decebat, vt lamentationes lamentationum reperirentur. Salomon cecinit Cantica canticorum, Ieremias plorauit lamentationibus lamentationum; in canticis sponsus & sponsa dulcibus fruuntur amplexibus; in lamentationibus sponsi absentia ab sponsa multis fletibus deploratur; in Canticis introducuntur diuersæ personæ ad nuptias, in lamentationibus innumera propemodum Iudæorum multitudo in captiuitatem adducta plangitur. *Cantica* inquit

Paschasius. Paschasius *decent in patria*, iuxta illud Dauid,
Psal. 64. Psalm. 64. *Te decet hymnus Deus in Sion:* lamentationes in caliginoso huius vitæ ergastulo; &
Psal. 38. ideo idem Rex & Propheta, Psalm. 38. inquit: *Beatus vir, cuius est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum.* In breuiario Romano pro titulo legitur, *Lamentatio* singulari

gulari nûmero, quoniam, licèt multæ ſint lamentationes, ſi ſingulas calamitates Ieruſalem conſideremus, tamen vna eadémque communis eſt lamentationis materia, vtpote vrbis, populique Iudaici deſolatio; ſicut & cùm ſint multæ Prophetarum viſiones, tamen vna ſemper dicitur viſio ſingulari numero, vt videre eſt in omnibus prophetiis Ieremiæ, Iſaiæ, & aliorum.

Dicuntur autem huiuſmodi lamentationes, Græco idiomate, *Threni*, vel à verbo θρηνεῖν, quod ſignificat, *lamentari*, vel à Threnato monte, vbi lamenta animarum, quæ ibi puniuntur, audiri finguntur, vt inquit Guilielmus Durandus in rationali diuinorum officiorum, lib. 6. Inde etiã dicitur Threnum, quod eſt plenum funeris & lamentationis. *Durandus.*

Quare tribus diebus hebdomadæ maioris in matutinis horis legantur lamentationes Ieremiæ.

TOTVM officium illarum trium noctium eſt deſtinatum ab Eccleſia, acerbiſſimæ Saluatoris paſſioni deplorandæ; ideóque in illo nihil vacat myſterio: quamobrem operæ pretium erit curſim aliqua perſtringere.

Primò enim (vt notat Durandus in rationali) ad horas canonicas, non cymbalis ſed percuſſa tabula fit ſignum; in qua tabula lignum à ligno pendet, vt intelligamus, miniſtros Eccleſiæ tunc vocari ad deplorandum Chriſtum Dominum *Durandus.*

(qui

(qui est lignum plantatum secus decursus aquarum) in crucis ligno pendentem. Tollitur etiam ab hoc officio principium horarum, vtpote: *Domine labia mea aperies: Deus in adiutorium meum intende*: Et finis scilicet: *Benedicamus Domino*. Quia nempe recessit à nobis Pastor, & Sacerdos, qui est principium, & finis rerum omnium, qui in adiutorium intendere, nósque benedicere possit. Non dicitur *Gloria Patri*, quia in passione Christi abscondita fuit fortitudo gloriæ ipsius. Non fit etiam salutatio, *Dominus vobiscum*, vt vitetur pestifera Iudæ proditoris salutatio, qui osculo pacis, signóque amoris, Dominum IESVM amore hominum æstuantem tradidit crucifigendum Iudæis.

Illud autem est maximè obseruandum, quòd cùm his diebus cæteræ horæ canonicæ summissa voce, & humiliùs solito recitentur: nocturnale tamen officium, per quod significantur Prophetiæ Prophetarum, alta voce decantatur, quia scilicet Prophetæ aperta voce, quæ ventura erant in Christi passione, dictante SPIRITV SANCTO, remota omni formidine prædicarunt: diuinum verò officium, per quod Apostolorum prædicatio figuratur, summissa voce, & quasi per silentium recitatur, quia tunc Apostoli tacuerunt. Non dicitur quoque inuitatorium, ne videamur imitari, sed potiùs detestari concilium malignantium Iudæorum aduersus Christum Dominum, vt eum caperent in sermone. Hymnus etiam laudis non dicitur, quia tunc Christus factus est opprobrium hominum, & abiectio plebis.

Sunt

Sunt & candelæ in candelabro triangulari positæ,ad finem cuiusque Psalmi, fabrefacta manu proditoris extinguendæ, quæ iuxta sententiam Durandi, significant Apostolos ac mulieres Dominum comitantes; quarúmque extinctio denotat extinctionem factam in fide,per fugam Apostolorum;cuius causa fuit Iudas proditor; illis enim recedentibus quodam modo in illis extincta fuit fides. Candela autem candida significat virginem matrem, cuius fides licèt doloribus velaretur, ad modum quo candela absconditur,nunquam tamen fuit extincta, cùm ab illius fidei splendore omnes homines postea essent illuminandi. Durandus.

Sed hic modus explicandi, quem affert Durandus, sustineri non potest; ex eo enim sequitur, tempore passionis defecisse Ecclesiam Dei, quæ in vno tantùm fideli, vtpote Virgine sanctissima, conseruari non poterat. Quæ est ratio qua Theologi affirmant, probabiliùs Ecclesiam Dei,non in Adam,sed in Abel,incœpisse,quia in vno Adam conseruari non poterat, cùm Ecclesia sit collectio fidelium. Quare potiùs crediderim, per illam candelam candidam, Christum Dominum significari,qui licèt videretur secundùm carnem in humanitate extinctus,tamen secundùm diuinitatem, quæ opprobriis & contumeliis occultabatur forinsecus, luminis detrimentum non nouit: imò & postea resurgendo, vniuerso orbi iubaris splendorem communicauit. Vnde Apoc. 21. *agnus* dicitur *lucerna Ecclesiæ*: quoniam quemadmodum lucerna illuminando consumitur: ita agnus ille innocentissimus, in Apoc. 21.

cruce,

cruce, totum orbem illuminans incendio amoris, quodam modo fuit in humanitate consumptus. In aliis verò cereis, seu candelis, Apostolos possumus agnoscere; qui valde defecerunt, dum percusso pastore, ac in dentibus luporum relicto, omnes fugerunt.

Nec desunt, qui per candelas has mysticas, Prophetas significari opinentur, qui prophetarunt, & mortui sunt, per candelam verò candidam, Baptistam designari, qui, quod prophetauit, oculis vidit, & digito monstrauit. Sed cùm hæc expositio longè sit à nostro instituto, non est cur in illa immoremur.

Cùm igitur omnia in hoc officio plena sint Dominicis sacramentis, non vacat mysterio, quòd Ieremiæ lamentationes decantentur in illo. Deflet namque Ecclesia captiuitatem populi Iudaici, per Babylonios ac per Romanos factam, quam populus ille ingratus incurrit, in vltionem sanguinis agni, quem crudeliter effudit. Et quemadmodum Ieremias deflet mortem Iosiæ Regis optimi; ita Ecclesia lamentatur mortem, & acerbissimam passionem, parentis indulgentissimi Christi Domini. Ponuntur autem in fine cuiuslibet lamentationis illa iterata verba *Ierusalem, Ierusalem, conuertere ad Dominum Deum tuum*, ad arguendam duritiem Iudæorum, &
Luc 13. ideo bis repetūtur, sicut & in Euangelio Luc. 13. Christus Dominus inquit: *Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos.* Ponuntur deinde ad excitandam pœnitentiam in animis tam Hebræorum quàm Christianorum; qui per peccatum iterum Dominum crucifigunt.

De

De literis Alphabeticis, quibus versus lamentationum notantur.

IN more positum est tam apud Hebræos quàm Græcos, aliquando versus alicuius rei notabilis, siue lætitia, siue mærore plenæ, literis Alphabeticis annotare, vt patet vltimo cap. Prouerb. ab illo loco: *Mulierem fortem quis inueniet?* vbi abecedario modo contexitur scriptura singulis versibus ab vna litera alphabeti deinceps incipientibus; in cuius rei obsequium ac memoriam, quoniam vocabula Latina ab illis literis non ordiuntur, adscripserunt Latini singulis versibus singulas notas, seu potiùs monumenta literarum Hebraicarum. Huius quidem consuetæ elegantiæ aliqua possumus afferre exempla. Nota sequentia carmina Erythrææ Sibyllæ vaticinantis extremum iudicium, elementa autem cuiusque versus, si coniungantur, componunt sacratissimum nomen IESVS, vt obseruat D. August. lib. 18. de Ciuitate Dei cap. 23. *Prouerb. vlt.* *Erythr. Sibylla.* *D. August.*

I. Iudicij signum tellus sudore madescet:
E. E cælo Rex adueniet per secula natus:
S. Scilicet in carne existens, vt iudicet orbem;
V. Vnde Deũ cernent incredulus atque fidelis,
S. Summũ cum sanctis in secli fine sedentem.

Ecce quomodo huiusmodi literæ præter sensum verborum, cum quibus connectuntur, habent quandam energiam & elegantiam. Similem

milem quoque inuenies in illo hymno natiuitatis, cuius versus incipiunt per ordinem abecedarij,

A solis ortus cardine,
Ad vsque terræ limitem,
Christum canamus Principem.
Beatus auctor seculi,
Seruile corpus induit,
Vt carne carnem liberans,
Ne perderet quos condidit.
Castæ parentis viscera
Cælestis intrat gratia,
Venter puellæ baiulat,
Secreta quæ non nouerat.
Domus pudici pectoris,
Templum repente fit Dei,
Intacta nesciens virum
Verbo concepit filium.
Enixa est puerpera,
Quem Gabriel prædixerat,
Quem matris aluo gestiens
Clausus Ioannes senserat.
Fœno iacere pertulit,
Præsepe non abhorruit,
Paruóque lacte pastus est,
Per quem nec ales esurit.
Gaudet chorus cælestium,
Et Angeli canunt Deum,

Pa

Palamque fit paſtoribus
Paſtor creator omnium.

Finge igitur hunc hymnum verti Græco idiomate, vel Hebræo, in quo prima cuiuſque verſus litera incipere non poteſt ab eadem litera, qua incipit verſus Latinus; interpretem tamen, ſeu tranſlatorem, elegantiæ cauſa, vel in obſequium originalis Latini, relinquere in principio cuiuſque verſus prima elementa. Poterat ergo primus verſus Græcè tranſlatus incipere ab eo, vt initio affigeretur litera, *A*; à qua incipit primus verſus Latinus. Eodem modo lamentatio Ieremiæ in Hebræo incipit ab *Aleph*, tranſlata verò idiomate Latino incipit à litera Q. *Quomodo ſedet*, &c. Primæ tamen literæ Hebrææ præfixæ initio cuiuſque verſus relinquuntur in obſequium, & monumentum Hebræorum idiomatum.

Ego vlteriùs exiſtimo, huiuſmodi Alphabetum inſertum ſcripturis Hebræorum, inſeruire maximè ad memoriam localem, ſeu artificialem, qua Rhetores & oratores vtuntur in ſuis orationibus, & authores in ſuis libris; columnas enim, & margines librorum ordine alphabetico annotant, vt in indice pro faciliori rerum inuentione ad inſertas abecedarij literas recurratur.

Figuerius cap. 1. Comment. in Threnos, debita cum reuerentia admonendo, & non diſcernendo, exiſtimat in his lamentationibus non eſſe recitanda vel decantanda nomina literarum, à quibus verſus lamentationum incipiunt; *Figuerius.*

eo

Prouerb. 13. co ductus fundamento, quòd vltima pars Prouerbiorum cap. 13. ab illo loco: *Mulierem fortem quis inueniet?* abecedario modo contexitur singulis versibus ab vna litera Alphabeti deinceps incipientibus, & tamen dum ab Ecclesia in Missarum Epistola recitatur, non fit mentio literarum, à quibus in Hebræo inchoantur. Vnde existimat ille non esse maiorem rationem, quare in vno loco potiùs quàm in alio recitentur. Sed ego non auderem hoc affirmare, quippe cùm in horis canonicis, sicut & in Scriptura sacra, nullus sit apex, vel iota sine mysterio, imo potiùs quot ibi sunt literæ, tot sacramenta.

D. Hieron. Hoc autem vt satis intelligatur, nota mysterium harum literarum ex D. Hieronymo in procemio ad Eusebium. Ait igitur sanctus doctor: *Aleph*, doctrina interpretatur: *Beth*, domus: *Ghimel*, plenitudo: *Daleth*, tabularum: *He*, ista: *vau*, &: *Zain*, hæc: *Heth*, vita: *Teth*, bonum, *Iod*, principium: *Caph*, manus: *Lamed*, disciplinæ; siue cordis: *Mem*, ex ipsis: *Nun*, sempiternũ: *Samech*, adiutoriũ: *Ain*, fons; siue oculus; *Phe*, os ab ore, non ab osse: *Sade*, iustitiæ: *Coph*, vocatio: *Res*, capitis, *Sin*, dentium: *Thau*, signa. Ecce intellige, ne literarum ambiguitate fallaris, post interpretationem elementorum, intelligentiæ ordo dicendus est. *Aleph, Beth, Ghimel, Daleph*, prima connexio est: *doctrina domus, plenitudo tabularum*, quòd videlicet doctrina Ecclesiæ, quæ domus Dei est, in librorum reperiatur plenitudine diuinorum. Secunda connexio est: *He, Vau, Zain, Heth*, ista, & hæc vita, quæ enim alia potest esse vita sine scientia Scripturarum, per quam etiam ipse

ipſe Chriſtus cognoſcitur, qui eſt vita credentium? Tertia connexio habet: *Teth, Iod*, *bonum principium*, quia quamuis nunc ſciamus vniuerſa, quæ ſcripta ſunt, tamen ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus, & nunc per ſpeculum videmus in ænigmate; Cùm autem meruerimus eſſe cum Chriſto, & ſimiles Angelis fuerimus, tunc librorum doctrina ceſſabit.

Quarta connexio eſt: *Caph, Lamed*, manus cordis, ſiue diſciplinæ. Manus intelliguntur in opere: cor & diſciplina interpretantur in ſenſu; quia nihil facere poſſumus, niſi priùs, quæ facienda ſint, didicerimus.

Quinta connexio eſt: *Mem, Nun, Samech*, ex ipſis ſempiternum adiutorium. Hoc explanatione non indiget, ſed omnibus manifeſtius eſt, ſcripturis æterna ſubſidia miniſtrari.

Sexta connexio eſt: *Ain, Phe, Sade*, fons, ſiue oculus oris iuſtitiæ, ſecundùm illud, quod in teito numero expoſuimus.

Septima eſt, quę & extrema; quòd in ipſo quoqueſeptenario numero ſit myſticus intellectus: *Coph, Res, Sin, Thau*, vocatio capitis dentium ſigna. Per dentes articulata vox promitur, & his ſignis ad caput omnium, qui eſt Chriſtus, itur, per quem venitur ad regnum ſempiternum. Hæc D. Hieronymus.

Habent & vlterius aliud myſterium hæ literæ. Nam primo, ſecundo, ac quarto capite vnaquæque litera ſeruato ordine alphabeti Hebraici tres verſiculos deinceps inchoans complectitur. In tertio autem capite vna eadémque numero litera tribus affixa verſiculis cuique

exordium dat, vt patebit consideranti. Quapropter dicere possumus, quòd tertio capite innuitur mysterium sanctissimę Trinitatis, quemadmodum enim vna eadémque litera in tribus distinctis versibus reperitur, ita vna & eadem natura in tribus personis indiuisa subsistit, vt ideo Iudæi credantur districti, lamentationéque dignissimi, quia Deum trinum, & vnum, credere noluerint, cùm tamen in veteri Testamento satis ineffabile mysterium fuerit reuelatum.

Addiderim vlterius, quòd hæ prophetiæ ac lamentationes literis Abecedariis connotantur ad confusionem Iudæorum, qui res iam Alphabeto clariores, vtpote aduentum Messiæ, passionémque ipsius, intelligere & credere noluerint

Ierem. 8. dicente eodem Propheta Ieremia cap. 8. *Miluus in cœlo, turtur, & ciconia cognouerunt tempus aduentus sui; Israël autem me non cognouit, & populus meus non intellexit.*

Diuisio, seu partitio capitum.


SVnt hæ lamentationes in quatuor capita distributæ, vt intelligatur, quòd Ieremias non solùm calamitates Iudæorum, sed & totius mũdi in quatuor partes diuisi damna deplorat, vt à quatuor ventis, seu terrarum plagis, Mortales ad plorandum inuitet. Nam oculi Ieremiæ, veluti perennes fontes, quatuor lacrymarum diuisiones sub quadrato cœli cardine effecerunt ad totius populi peccata deploranda?

Nec

¶ Nec huic numero quaternario deeſt dignitas ac prærogatiua in Scriptura ſacra; quatuor enim ſunt Chriſti Euangelia, veluti quatuor æneæ columnæ totum cœli cardinem, totámque Eccleſiam ſuſtentantes. Quatuor animalia vidit Ezechiel cap.10.& Ioannes Apoc. 4. quibus thronus Dei agitabatur,& incredibili velocitate in cœlũ ferebatur. Quatuor quoque fuerunt quadrigæ toto orbe diſcurrentes, quorum meminit Zach. 6. *Quatuor erant ordines lapidum pretioſorum in rationali ſummi ſacerdotis* Exod. 28. atque ad exemplar harum rerum mirum non eſt,ſi Propheta Ieremias per quatuor capita ſuas diſtribuerit lamentationes.

Ezech.c. 10.
Apoc.4.
Zachar. 6.
Exod. 28.

C 2 COM



COMMENTARII IN THRENOS IEREMIÆ PROPHETÆ.

CAPVT PRIMVM.

Aleph.] *Quomodo sedet sola ciuitas plena populo: facta est quasi vidua domina gentium; princeps prouinciarum, facta est sub tributo.*

CONTEMPLABATVR Ieremias vrbem suam ferro, flammis, vastitatéque consumptam, præaltas turres de cœlo tactas fulmine irę Domini, mœnia solo æquata, augustissimum Salomonis templum, rarum orbis miraculum prophanatum, impiorúmque manibus ac pedibus proculcatum; videbat denique campos, vbi fuerat Ierusalem, ciuium sanguine stagnantes, & ideo tactus dolore cordis intrinsecus prorupit in illa verba non tā ignorantis, & interrogantis, quàm admirantis, & dolentis; [*Quomodo sedet sola ciuitas.*] Quo etiam doloris exordio vtitur cap. 2. dum inquit: *Quomodo obtexit caligine in furore suo Dominus filiam Sion?* Et cap. 4. *Quomodo obscura-*

tum est aurum? Simili phrasi vtitur Isai. cap. 1. dum inquit: *Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis?* Et cap. 14. in persona regis Babylonis, ita deplorat casum Luciferi: *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui manè oriebaris?*

Sunt autem variæ; & discrepantes significationes huius verbi, *sedere*; sumitur enim aliquando pro *docere*, iuxta illud Psalm. 1. *Et in cathedra pestilentiæ non sedit*; proprium enim est magistri in cathedra ad docendum sedere. Sumitur etiam pro familiari commercio Psal. 25. *Non sedi cum concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo.* Et iterum: *Odiui Ecclesiam malignantium, & cum impijs non sedebo.* Et Ieremias cap. 15. *Non sedi in concilio ludentium*, id est, turpiter idolatrantium; *ludere* enim in Scriptura pro *idolatria* sumitur, iuxta illud Exodi 32. *Surrexerunt ludere.* Sumitur etiam pro *manere*, Numerorum 20. *Mansit populus in Cades.* Quo loco in radice Hebræa est verbum idem significans, quod *Sedit.* Denique sedere sumitur pro vili & abiecto situ, in quo miser aliquis & afflictus iacet. Isai. 47. *Sede in puluere virgo filia Babylonis.* Sic Iob. c. 2. *In sterquilinio sedisse* perhibetur, vt dolentis exprimeretur affectus. Nam ipse, *Iob, dolens*, interpretatur, & filij Israël, cùm à Chaldæis captiui ducerentur, *super flumina Babylonis tristes consederunt.* Psal. 136.

[Margin: Psalm. 1. — Psalm. 25. — Ierem. 25. — Exod. 32. — Numer. 20. — Isai. 47. — Iob. cap. 2. — Psalm. 136.]

Secundùm has omnes acceptiones huius verbi, interpretemur iam hunc versum. [*Quomodo sedet*,] id est, quomodo Ierusalem è cathedra miseriæ docet homines scientiam; quomodo docet, quasnam pœnas exoluant ciuitates, meretrices,

tetrices, turpiter per idololatriam adulterantes; quomodo edocta docet mortales iustitiam diuinam, in cuius potentes manus, ad vindidictam superbiæ ipsa incurrit.

Interpretemur & secundo modo. [*Quomodo sedet*] Familiaris dæmonum, quæ fuerat habitaculum Dei, regia sacerdotum, domicilium Angelorum, quomodo sedet cum impiis & malignantibus, in concilio ludentium?

Tertiò. [*Quomodo sedet.*] in obscuris vallibus super flumina Babylonis, quæ in summo regni throno, cœliq; vertice stare noluit. Quomodo, heu dolor, sedet, posita in solitudine, & habitaculo draconum! Talis equidem sedebat Ierusalem, qualem illam depinxerat Isaias 34. *Possidebũt illam onocrotalus & ericius; ibis & coruus habitabunt in ea; orientur in domibus eius spinæ, & vrticæ, & Paliurus in munitionibus eius, & erit cubile draconum, & pascua struthionum, & occurrent dæmonia, Onocentaurus, & pilosus clamabit alter ad alterum; ibi cubauit lamia, & inuenit sibi requiem. ibi habuit foueam ericius, & enutriuit catulos.*

Isai. 34.

Paliurus.

Ecce describitur desolatio ciuitatis, cuius ruinæ factæ sunt ferarum domicilium.

Quod quidem spectaculum non potest non lacrymas ab intuentium oculis excitare.

Etenim quis tempore pestis transactæ, quæ totam fere Lusitaniam deuastauit, Vlissiponem, ac omnes regni vrbes, absque magno cordis dolore intueretur? Plateas cadauerum multitudine repletas, vacuas hominibus, nascentibus in foro vrticis & spinis? Erat Ierusalem

ſalem tempore obſidionis, *ſicut vmbraculum in vinea, & ſicut tugurium in cucumerario*, vt inquit *Iſai.cap. 1.* Iſai.cap. 1. Iure igitur plorans Propheta dicit. [*Quomodo ſedet ſola ciuitas plena populo.*]

Vt autem intelligas, quàm plena populo fuerit Ieruſalem ante deſolationem, quámque ſola poſtea manſerit, lege Auguſtinum *Auguſtin.* ſermone 204. de tempore, quo in loco comparat deſolationem Ieruſalem pœnæ in quam incurrerunt indiſciplinati illi pueri, qui Eliſæo Prophetæ exprobrauerunt. Nam quemadmodum pueri illi clamauerunt beato Eliſæo: *Aſcende calue, aſcende calue*; ita & inſenſati populi Iudæorum, Pilato, tempore paſſionis, voce ſacrilega clamauerunt: *Crucifige, crucifige in loco Caluariæ Chriſtum*; & ſicut ſub Eliſæo quadraginta duo pueri lacerati ſunt: ita poſt quadraginta duos annos paſſionis Dominicæ, venerunt duo vrſi; Titus & Veſpaſianus, & lacerauerunt innumeram pene Iudæorum multitudinem.

Facta eſt autem obſidio Iudæorum in ſolemnitate Paſchali, vt iuſto Dei iudicio ex omnibus prouinciis congregati Iudæi in ipſis diebus pœnam debitam ſuſtinerent, in quibus verum Eliſæum, Dominum & Saluatorem noſtrum, in cruce ſuſpenderunt. Quadrageſimo enim ſecundo anno à die paſſionis Chriſti Domini, quaſi diuina manu acti Iudæi,Ieroſolymam, ſicut ſolebant, ad celebrandum Paſcha conuenerant.

Refert verò idem D. Auguſtinus, ex traditionibus antiquis, quòd trities centena millia homi

hominum ex Iudæis, Ierosolymis congregata fuerunt, ex quibus ferro & flamma vndecies centena millia leguntur esse consumpta, & centum millia iuuenum Romam perducta in triumphum. Duobus autem illis annis, quibus obsessa est ciuitas, tanta multitudo mortuorum de ciuitate proiecta est, vt muris ipsa cadauera coæquarentur. Istam verò desolationem figurabant duo illi vrsi, qui quadraginta duos pueros propter irrisionem Elisæi lacerasse dicantur, vt adimplereretur, quod dictum est per Prophetam Psalm. 79. *Exterminauit eam aper de sylua, & singularis ferus depastus est eam.*

In sensu autem spirituali plangitur Ecclesia viduata absentia indulgentissimi sponsi. Nec enim Ieremias flebat tantùm ruinam saxorum, quantùm spiritualem animarum desolationem. Nos verò sumentes lacrymas ab oculis Ieremiæ, & verba ab ore ipsius, eandem Ecclesiæ vastitatem iure optimo possumus lamentari. *Quomodo sedet sola ciuitas gaudium vniuersæ terræ?* Nam, vbi, quæso, sunt Ecclesiæ Asiæ, ex quibus trecenti decem & octo Episcopi conuenerunt olim ad concilium Nicænum; ad Chalcedonense verò sexcenti, & triginta? vbi sunt Christiani illi ex Africa omni virtutum genere florentes? Vbi illustres martyres, præclari Confessores, castæ Virgines ex Gallia, Anglia, Flandria, ac Germania? Equidem in isto Europæ angulo ecce Ecclesia Dei sola sedet.

Tropologicè etiã lugetur anima fidelis, quæ quasi vidua sedet virtutum ornamentis spolia-

ta,dominio Chaldæorum subdita, quia pubertatis suæ contempsit sponsum. *Chaldæi* captiuantes interpretantur,hi sunt dæmones, qui de solio cœlestis patriæ animam reuocant, & in potestatem suam captiuant. Vnde Isai. cap. 47.
Isai.47. dicitur: *Intra in tenebras filia Chaldæorum.* Quia scilicet filia Dei in lege virtutum stare noluisti; intra mutato nomine in tenebras cæcitatis. Quomodo igitur sedet sola anima, quondam virtutũ splendore illustris, & suffragiis sanctorũ, quasi ciuitas plena populo,quæ priùs pollebat diuinis opibus,inter frequentiam sodalium, nunc inter hostes sedet squalida, cui nulla est societas sanctorum, nulla communio sacramẽtorum, nulla cum sponso participatio, sed redacta in seruitutem vitiorum sedet misera & infelix?

Facta est quasi vidua.] Nam vidua propriè illa dicitur, cuius vir est defunctus, quasi verò illa, quæ ab sponso relinquitur. Cùm igitur sponsus Ecclesię, vtpote Deus O.M.sit immortalis,proindeque emori non possit, non dicitur Ecclesia facta vidua, sed quasi vidua, propter sponsi iustissimã absentiã,causa fornicationis,id est,idololatriæ. Sedet igitur sola Synagoga,seu Ecclesia,quia quasi vidua;viduæ enim plerũque solæ
Ioel 1. esse solent; sedet vt vidua in luctu & squalore, ibi Ioelis consilium secuta cap. 1. *Plange quasi Virgo accincta sacco super virum pubertatis suæ.*

Domina gentium, & princeps prouinciarum] Maximè tempore Dauid, & Salomonis, qui multas gentes alienigenas sub suo imperio sub-
2.Reg.cap.8. iecerunt.Habetur enim 2.Regum cap. 8. *Factus est*

est Moab Dauidi seruiens sub tributo, & posuit Dauid præsidium in Syria Damasci. Facta est Syria Dauidi seruiens sub tributo. De Salomone autem habetur 3. Regum cap. 4. *Salomon autem erat in ditione sua habens omnia regna à flumine terræ Philistiim vsque ad terminum Ægypti: offerentium sibi munera, & seruientium ei cunctis diebus vitæ suæ.* Et cap. 9. *Vniuersum populum, qui remanserat de Amorrhæis, & Hethæis, & Pheresæis, & Heuæis, & Iebusæis, quos non poterant filij Israel exterminare fecit Salomon tributarios.* Faciunt in huius rei argumentum versus Psalmi 71. vbi Dauid decantat felicitatem regni Israel, futuram tempore Salomonis filij sui: *Dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum. Coram illo procident Æthiopes; & inimici eius terram lingent. Reges Tharsis, & Insulæ, munera offerēt. Reges Arabum, & Saba, dona adducent, & adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes seruient ei.* Hic igitur populus, qui omnes barbaras nationes subiugabat, ab eisdem ducitur in captiuitatem: hæc ciuitas, cui omnes ferè orbis prouinciæ erant tributariæ, facta est sub tributo earundem. Nam gens Iudaorum modo sine rege, sine templo, sine sacerdotio, partim est sub Turcarum, partim verò sub Maurorum imperio; semper tamen vbique sit, facta hominum opprobrium, & abiectio plebis.

3. Reg. cap. 4.

3. Reg. cap. 9

Psalm. 71.

Tropologicè verò lugetur anima fidelis amissa libertate filiorum Dei, redacta in seruitutem peccati. Nam, vt inquit Christus Dominus, Ioan. 8. exprobrans Iudæis, asserentibus se esse liberos: *Omnis, qui facit peccatum, seruus est peccati*

D. Petrus. cati. Et patet argumento D. Petri, 2. cap. Epistolæ 2. *A quo quis superatus est, huius seruus est.* Vnde, si homo à peccato superatur, peccati seruus manet.

Beth.] *Plorans plorauit in nocte, & lacrymæ eius in maxillis eius: non est qui consoletur eam ex omnibus charis eius; omnes amici eius spreuerunt eam, & facti sunt eius inimici.*

Theodoret. THEODORETVS agnoscit hoc loco illustrem Prosopopeiam, qua rebus inanimatis & mutis ea quæ sunt animatorum & loquentium, tribuuntur. Quæ figura frequens est in sacra Scriptura; sic Dauid Psal. 18. inquit: *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum.* Et Isai. cap. 23. *Vlulate naues Carthaginis.* Ita noster Ieremias, hoc loco, eadem Rhetorices figura, tribuit ciuitati Ierusalem lacrymas, & fletus, qui hominibus connaturales sunt. Per iteratam verò repetitionem insinuatur imber lacrymarum, & fletus abundantia, vt notauit Lyra: Quæ phrasis est etiam in sacra Scriptura frequentissima, Psalm. 131. *Viduam eius benedicens benedicam*, id est, plurimum benedicam. Et Psalm. 39. *Expectans expectabo Dominum*, id est, constans ero in expectando. Ita nostra ciuitas Ierusalem plorauit intrinsecus in corde; Forinsecus quoque in ore: ea enim est vis, & energia

Psalm. 18. Isai. 23. Lyra. Psalm. 131. Psalm. 39.

gia illorum verborum. *Plorans Plorauit.*

Notat autem eleganter Figuerius, quòd Synagoga, quæ sub persona cuiusdam matronæ in hac lamentatione introducitur, non plorat, aut dolet, quòd virum optimum offenderit, sed quòd delicias ac diuitias, quas sub eo possederat, amiserit. Nec optat viro reconciliari, aut illius vllo tenetur desiderio, sed solas amissas diuitias, atque delicias, suspirans lamentatur. Si enim verè, & ex charitate potiùs quàm ex cupiditate, fleret, non est tam inhumanus sponsus, quòd eam non reciperet, cùm audiamus ipsum, Ieremiæ 3. vltro sponsam vocantem his verbis: *Tu fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me.* *Figuerius.* *Ierem. 3.*

In nocte] Quia scilicet in die non dabatur ei requies, vt saltem suis lacrymis consolaretur. Tantus enim pauor (inquit Iosephus initio quinti libri de bello Iudaico) occupauerat Iudæos, atque formido, vt nec flere quidem palam quisque siue sepelire proprium funus auderet, sed erant occultæ clausorum etiam lacrymæ, &, ne quis inimicorum audiret, circumspectantes gemebant: paria namque hæc, quæ lugebantur, etiam qui luxissent, illico patiebantur; exigua verò nocte secretò lugebant, sublatámque terram manibus, corporibus iniiciebant. Hæc Iosephi verba, quanta fuerit eo tempore Iudæorum calamitas, satis declarant; eò enim infelicitatis deuenerunt, vt infinitis propemodum laboribus vexati, quas lacrymas nocte fundebant, in luce retinere cogerentur. Non permittere autem, hominem grauiter dolentem, *Iosephus.*

tem, flere, intolerabile putat Ouid. 5. de Tristibus, dum inquit:

Exigis, vt nulli gemitus tormenta sequantur,
Acceptóque graui vulnere flere vetas.
Ipse Perillæo Phalaris permisit in ære
Edere mugitus, & bouis ore queri.

In nocte.] Potest etiam intelligi tempus tribulationis, & angustiæ, quod in Scriptura sacra noctis nomine significatur. Vel *nocte*, quoniam tunc recordatio tribulationis solet esse vehementior. Nam vix miser afflictus dormitat, cùm gladius recordationis è vagina memoriæ edactus cor ipsum crudeliter transuerberat; nec enim *placidam membris dat cura quietem*. Nocte igitur, quia tempus illud, quod alij in quiete, Iudæi in vigiliis & lacrymis consumebãt. *In nocte*, quoniam nocturnum tempus accommodatissimum est lacrymis. Vnde Dauid Psalm. 6. *lauabat per singulas noctes lectum suum, & lacrymis stratum suum rigabat.* Cùm enim terra, & aër tetra caligine, & densis tenebris sunt obducta, lacrymæ suopte motu prouocantur. Hinc est, quòd lugentes parentum mortem, in mœroris significationem fenestras solis radiis claudant, parietes atris indumentis operiant. Et tempore passionis Christi Domini, tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, vt illis inuoluti Mortales accommodatiùs lugerent parentis indulgentissimi mortem, & passionem acerbissimam.

Psalm. 6.

In nocte] In Hebræo dicitur cum emphatico

atti

articulo, in illa ſcilicet nocte, in qua ciuitas vaſtata, tēplúmque ſuccenſum eſt, & in qua etiam agebatur dies anniuerſarius luctus, & mœroris, quem habuerunt Iudæi in deſerto, quando exploratores terræ promiſſionis, malum nuncium retulerūt de difficili expugnatione terræ. Namque, vt videre eſt Numerorum 13. & initio capitis 14. vbi exploratores quadam nocte hoc retulerunt, omnis populus vociferans fleuit. Huius autem luctus agebatur anniuerſarius dies, illa nocte, qua ciuitas vaſtata templúmque ſuccenſum eſt. Simili verborum emphaſi vtuntur Poetæ, & oratores. Virgilius 2. Æneadûm: *Num. 13. & 14.*

Quis cladē illlius noctis, quis funera fando *Virgilius.*
Explicet? aut poſſit lacrymis æquare laborē?

Ouidius quoque in Elegia, qua diſceſſum ſuum in exilium, depingit, ita orditur: *Ouidius.*

Cùm ſubit illius triſtiſſima noctis imago,
Quæ mihi ſupremum tempus in vrbe fuit:
Cùm repeto noctē, qua tot mihi chara reliqui,
Labitur ex oculis tunc quoque gutta meis.

Quin etiam D. Paulus Corinth. 11. recolens beneficia, quæ Chriſtus Dominus hominibus contulit in Euchariſtiæ inſtitutione, inquit: *Dominus* I E S V S, *in qua nocte tradebatur, accepit panem,* &c. *Cor. 11.*

In nocte] Igitur plorans Synagoga velut altera Rachel plorat filios ſuos partim gladio, & fame abſumptos, partim in miſeram captiuitatem ductos.

Et

Et lacrymæ eius in maxillis eius] Exprimit Propheta continuationem, & diuturnitatem lacrymarum, quibus cor ipsum per oculos guttatim resolutum effundebatur.

Deum O. M. lacrymis placari vel ipsi Athenienses vsque adeò intellexerunt, vt ignoto Deo, quem colebant, lacrymas offerrent. Sunt enim, vt inquit Cyprianus lib. 2. Epistolarum epistola 7. *lacrymæ legati, qui à corde pro doloribus mittuntur, &, cùm non loquantur, efficaces sunt in persuadendo.* Quare hîc non audimus vocem Synagogæ loquentis, intuemur tamen lacrymas dolentis; lacrymæ enim tacitæ quodam modo preces sunt; nec enim quod fleri solet, eloqui solet.

Cyprianus.

D. Ambrosius hanc constituit distinctionem inter lacrymas & orationem, quòd oratio leniat Deum, sed lacrymæ cogant. Hoc in lacryma Ezechiæ regis satis videbimus; etenim cùm aliquando venisset Isaias ad Ezechiam ægrotantem, & Dei nomine mortis sententiam regi intimasset, Ezechiásque fletu magno plorasset, antequam Isaias egrederetur mediam partem atrij, factus est iterum sermo Domini ad eundem Prophetam dicens: *Reuertere, & dic Ezechiæ duci populi mei: vidi lacrymam tuam, & ecce sanaui te: die tertia ascendes templum Domini, & addam diebus tuis quindecim annos: sed & de manu regis Assyriorum liberabo te.* Nunc verò videamus, quænam sit ista contradictio *viues*, &, *non viues*. Nunc dixerat Isai. *Morieris tu*, & *non viues*, & illico antequã egrederetur mediàm partem atrij, dicit Dominus: *Ecce sanaui te*: qualis erit deinceps authoritas

D. Ambros. *Isai. 38.* *4. Reg. 20.* *2. Paralip. 32.*

tas Prophetarum? Quis credet dictis eorum? Huic interrogationi respondit Dominus: *vidi lacrymam eius*, non *lacrymas*, sed *lacrymam*: quia scilicet lacryma peccatoris ex corde lugentis pretiosior ac potétior videtur apud Deum, ipsa prophetarum authoritate.

D. Chrysostomus tomo 1. homil. 7. inquit: In secularibus iudiciis quantumlibet lamenteris, & lugeas; non tamen effugies flendo iudicium, ante Deū verò si toto corde ingemueris, soluisti repente sententiā, veniamque meruisti. *D. Chrysost.*

Ea est autem differentia inter aquas lacrymarum, & elementales, quòd elementales in frigidissima aëris regione, locisque humidis generantur, & suopte pondere in terram decidunt: aquę verò lacrymarum in locis calidissimis, vtpote in pectoribus dolore, vel amore æstuantibus generantur, & exinde sursum rapidissimo motu saliunt in cœlum, imò & supra cœlum resident. In quo sensu possumus intelligere verba Psalm. 148. *& aquæ omnes, quæ supra cœlos sunt, laudent nomen Domini.* Iure igitur Synagoga, quæ sub habitu repudiatæ matronæ introducitur, lacrymas habet in maxillis, vt veniam peccatorum consequatur. *Psal. 148.*

Allegoricè autē Ecclesia Dei plorat in nocte, id est, in caliginoso huius vitæ ergastulo, quia licèt sit ad gloriā prædestinata, versatur tamen inter caligines & tenebras huius seculi. Per maxillas intelligunt hìc D. Hieron. & D. Gregor. 13. Moralium, Apostolicos prædicatores, per quos sancta Ecclesia iniquos à vitiis cōtexit, & quasi glutiens in sua membra cōuertit. Vnde Act. 10. *D. Hieron.* *D. Gregor.*

Petro Apostolo, veluti præstantissimæ Ecclesiæ maxillæ, dictum est: *Occide, & manduca.* Canticorum 4. habetur, *Genæ tuæ, sicut fragmen mali punici, absque eo, quod intrinsecus latet, quia in genis & maxillis eximia Ecclesiæ pulchritudo ostenditur.* Quemadmodũ enim in maxillis, veluti in quodam indice animi, ostenditur illius effectus & affectus, tristitia, dolor, gaudium, & exultatio; ita in prædicatoribus Ecclesiæ status agnoscitur: illi enim præ cæteris in corpore Christi laborant, plus gemunt & insudant, vt reuocent ad viam pacis, quos in nocte delictorum, & in cæcitate erroris, versari vident. Plorat etiam Ecclesia in nocte, quia peccatorum suorum tenebras non ignorat; plorat pro patriæ cœlestis desiderio, plorat pro peccatis fidelium, plorat velut altera vidua ciuitatis Nain filium demortuũ efferens pheretro cogitationis suæ, & illum offerens Domino resuscitandum. Plorat in martyribus, in confessoribus, in virginibus, & viduis; ac denique in omnibus, qui se peregrinos & hospites confitentur super terram, quorum lacrymis pulchritudinem suam in maxillis quotidie renouat.

Canticorũ 4.

Non est, qui cõsoletur eam ex omnibus charis eius.] Hoc pertinet ad secundam captiuitatem; nam ex tunc nec principes nec sacerdotes habuit populus Iudaicus; in Babylone verò consolatores habuit Danielem, Ezechiam, Ieremiam, & alios. D. Thomas 1. 2. quæst. 38. art. 3. excitat quæstionem, Verùm tristitia & dolor mitigetur per compassionem amicorum. Partémque tenet affirmatiuam, secutus sententiam Aristotelis 9. Ethico

D. Thom.

Ethicorum cap. 11. asserentis, quòd in tristitiis amicus condolens consolatur, idque duplici de causa. Prima, quoniam cùm ad tristitiam pertineat aggrauare, habet illa rationem cuiusdam oneris, à quo aggrauatus alleuiari conatur. Cùm ergo aliquis videt de sua tristitia amicos cōtristatos, fit ei quasi quædam imaginatio, quòd illud onus alij cum ipso ferant, quasi conantes ipsum ab onere alleuiare, & ideo leuiùs fert tristitiæ onus; sicut etiam in portandis oneribus corporalibus contingit. Secunda ratio, quæ magis D. Thomæ placet, est, quòd dum amici contristantur, percipit amicus tristis se ab eis amari; quod suapte natura est delectabile. Cùm igitur omnis delectatio mitiget dolorem, fit cōsequens, quòd amicus condolens tristitiā mitiget.

Hoc consolationis genere carebat Ierusalem. Nam Ægyptij, Syrij, & alij, cum quibus fœdere amicitiæ conglutinata erat, eam in ærumnis reliquerunt, vt impleretur, quod dictum est per Ezechielem cap. 23. *Suscitabo omnes amatores tuos contra te.* Quod in persona peccatoris lamentatur Iob 19. *Noti mei quasi alieni recesserunt à me, & dereliquerunt me propinqui mei.* Et Dauid Psalm. 68. eâdem vtitur querela: *Sustinui qui simul mecum contristaretur, & non fuit: & qui consolaretur, & non inueni.* Hoc ipsum innuunt sequentia verba huius lamentationis; exaggerat enim propheta eandem miseriam & calamitatem.

Ezech. 23.

Iob 19.

Dauid 68.

Omnes amici eius spreuerunt eam, & facti sunt ei inimici.] Iudæi enim fœdus inierunt cum gentibus, vt sibi auxilio essent. Hoc autem fœdus spreuerunt gentes, illud frangentes, & violan-

 tes,

tes; nec solùm in necessitate Ægyptij, & Assyrij Iudæos dereliquerunt, sed etiam Chaldæis eorum aduersariis adhæserunt.

Ghimel.] *Migrauit Iudas propter afflictionem, & multitudinem seruitutis: habitauit inter gentes: nec inuenit requiē: omnes persecutores eius apprehēderunt eam inter angustias.*

D. Hieron. D. Hieronymus ita explicat: Migrauit populus Iudæorum in dispersionem gētium propter afflictionem captiuitatis, & qui antea multis nationibus præerat, postea inter diuersas gentes seruitio laborabat; æquum enim erat, vt qui suaue iugum Domini, & onus leue despexit, asperum seruitutis iugum, durúmque Babylonis onus sustineret. Chaldæi enim, omnes Iudæos, qui robore corporis, vel artis industria, eis poterant seruire, transtulerunt in Babylonem; inermes verò, quibus gladius pepercit, reliquerunt pro terræ agricultura.

Aliqui verò interpretes exponunt hunc locum, non de Iudæis captiuis, sed de illis, qui relicti pro terræ agricultura, fugerunt à patria ad Ægyptios propter afflictionem acerbissimā, quam in natali solo patiebantur à Chaldæis in iugo personarum, & solutione tributorum. In cuius confirmationem videtur fauere prophetia

Isai. 16. Isaiæ 16. *Habitabunt apud te profugi mei: Moab esto*

esto latibulum eorum. Vbi nota, quòd Iudæos afflictos propter peccatum, Deus non priuat dulci nomine suorum; ait enim *profugi mei:* imò & amore paterno. Moabitas appellat in auxilium Iudæorum, fugientium à facie tribulationis, quod affectuosiùs inculcat cap. 21. *Qui habitatis terram Austri, cum panibus occurrite fugienti.* Sed cùm propheta communem Iudæorum cladem hîc lamentetur, accommodatiùs sunt hæc verba intelligenda, tam de Iudæis à patria fugientibus, quàm in captiuitatem ductis. *Isai.21.*

Migrauit igitur gens Iudę à dulci patria, à natalique solo; migrauit in Babylonem captiua, manibus post terga reuinctis, durissimis catenis è collo pendētibus propter afflictionem, quam ab hostibus patiebatur, vel in pœnam & vindictam afflictionis, & multitudinem seruitutis, qua alios Iudæos fratres Israëlitas pauperes & imbecilles opprimebant, contra legis præceptum. Habet enim Chaldaica paraphrasis: *Abijt Iuda in captiuitatem, eo quòd ipsa afflixit pupillos, & viduas, & durè tractauit seruos Hebræos;* iustissimo enim Dei iudicio *per ea, per quæ quis delinquit punitur.* Habitauit populus Israël inter gentes exteras, imò & hostiles, velut Caim fratricida vagus, profugus, tremebundus, nullam inueniens requiem, confusionis suæ, ignominiæque nota erubescens, eo quòd fratrem, ac Dominũ Christum Optimum Maximum interfecerit. Aliqui in exilio locupletantur, atque, vt est in prouerbio, cùm *patria sit, vbi bene,* exilium illis pro patria reputatur: at miseri Iudæi vbique agitationes & iactationes patiebantur, nec inueniebant *Chal.paraph.*

bant requiem. Quemadmodum ille qui ardenti febri æstuat, vel lethali vulnere est percussus, in lecto nō conquiescit; sed huc illucque clamoribus & gemitibus agitatur: ita Ierusalē iustissimis doloribus correpta conquiescere non poterat.

Omnes persecutores eius.] id est, Chaldæi, & postea Romani, apprehenderunt eā, scilicet Ierusalem, vel gentem Iuda, quasi fugitiuam fuga, & afflictione angustiatam, inter angustias famis & mortis, quando ciuitas fuit capta. Rabbi Solomo exponit: *Inter angustias viarum*, vbi capiebātur fugientes, qui non poterant diuertere. Cui opinioni fauet Iosephus 7. de bello Iudaico cap. 21. in hæc verba: inter angustias autem viarum fusi Romani strictis gladiis, quos cepissent, nullo discrimine interficiebant.

Rabbi Solomo.

Deploratur etiam allegoricè exilium Ecclesiæ Dei, quæ genere & conuersatione tota est cœlestis: proindeque vt cœlestem illam vidit Ioannes 12. Apoc. 21. *vestitā solis radiis, diademate duodecim stellarum coronatā, ac lunæ iubare calceatā.* Et cap. penultimo, *vidit ciuitatem sanctam Ierusalem velut peregrinam ad terras descendentem*: Dixi *peregrinam*, quoniam quamdiu sumus in hac vita, *peregrinamur à Domino*, vt inquit Apost. 2. Cor. cap. 5. & ideo more peregrini in rebus humanis non cōquiescit cor nostrum. Cùm enim, vt argumētatur D. Augustinus, fecisset nos Dominus ad se, inquietum est cor nostrum, donec requiescamus in illo. Quod satis ipsa cordis figura ostendit; cū namque, duabus veluti alis, continuò in cœlum sursum rapiatur incredibili celeritate, in puncto terram ipsam deorsum respicit. Migrauit igitur

Apoc. 21.

2. Cor. cap. 5.

Ecclesia

Ecclesia in terra, velut arca fœderis de loco in locum. Migrauit iam de Iudæis ad gentes, inter gentes verò non inuenit requiem propter multitudinem peccatorũ, quibus affligitur, ideóque ex Asia & Africa migrauit in Europam; imò & relicta Flandria, Anglia, & Germania, ad Italiam & Hispaniam veluti ad tutiora loca confugit. Quid, heu dolor, si in Hispania, nõ conquiescat, sed ad Cinnas, Iappones, Garamantas & Indos penitus confugiat?

Migrauit quoque Iudas, anima scilicet fidelis ab statu gratiæ, proindeq; à patria cœlesti in Babylonẽ, hoc est, confusionem peccatorum. Nam si anima diu exulat à Deo, afflicta vitiorũ seruitute, de vitiis ad vitia migrat, nec inuenit requiẽ. Vnde Apostolus ad Rom. 7. inquit, *video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* *Ad Rom. 7.* Cùm enim peccator, peccando, & auertatur à Deo, & conuertatur ad creaturas, meritò exulat à Deo, quod pertinet ad pœnã damni, & in ipso exilio inter creaturas non inuenit requiem, imò & hostes ipsius spirituales, vtpote mundus, caro, & diabolus, eam crudeliter lacerant.

Daleth.] *Viæ Sion lugent, eo quòd non sint qui veniant ad solemnitatem: omnes portæ eius destructæ, sacerdotes eius gementes: Virgines eius squalidæ, & ipsa oppressa amaritudine.*

TEmplum Domini, teste D. Hieronymo, in traditionibus Hebraicis in Genesim, Iosepho 7. antiquitatum cap. 10. Beda lib. de templo *D. Hieron.* *Ioseph. 7.* *Beda 5.*

cap. 5. erat in Ierusalem, in monte Moria, qui demóstratus fuerat Dauid 2. Paral. cap. 3. & in quo olim Abraham Dei iussu sacrificare voluit Isaac filium suum; habetur enim Gen. 22. *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Isaac, & vade in terrã visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum super vnũ montium, quem monstrauero tibi*: Iam verò vbi nostra editio vulgaris habet: *In terram visionis*: est in Hebræo: *In terram Moriæ.* Est autem Moria mons excelsus, & vndequaque longè cóspicuus in latere montis Sion, à torrente Cedron, ascendens versus vrbem exigua planitie, & vndique præceps, atque decliuis: in summitate erat tumulus petricosus, arduus à vertice sẽsim, versus orientale vrbis latus resupinus, & propter altitudinem toti vrbi eminebat; & quemadmodum qui Ierusalem petebant, semper ascendere dicebantur, iuxta illud Matth. 20. *Ecce ascendimus Ierosolymam*: ita qui è ciuitate veniebant ad templum, ascendebant; Lucæ 18. *Duo homines ascendebant in templum, vt orarent.* Cùm autẽ hic propheta conuertat se iam spirituali fletu ad lamentandam templi distructioné, quod erat in summitate Moriæ, qui mons est pars Sion, illustri metaphora dicit vias Sion, quæ ducebant ad tẽplum, lugere ipsius templi solitudiné. Quemadmodum enim, quando populus agminatim ad templum concurrebat, viæ Sion dicebantur frequentia lætari, ita quoque modò dicuntur solitudine lugere. In radice Hebræa habetur, [*via Sion herbosa*] quidquid Lyrano repugnet Figuerius. Nam cùm via est deserta, solet vrticis & spinis ita suffocari, vt postea ad tran

2. Paral. c. 3. *Genes. 22.* *Matth. 20.* *Luca 18.* *Figuerius.*

transeundum sarculo vel securi ad faciendam viam opus sit. Vnde eleganter regius Vates volens ostendere Deum O. M. rarò in homines irasci, fingit viam furoris Domini ita spinis & herbis obductam, vt si quando irasci velit, opus sit viam facere semitæ iræ suæ; ait enim Psalm. *Psalm. 77.*
77. *Viam fecit semitæ iræ suæ, & non pepercit à morte animabus eorum.* Viæ igitur Ierusalem erant desertæ & solitariæ, quales iam depinxerat Isaias, *Isai. 33.*
33. *Dissipatæ sunt viæ, cessauit transiens per semitam.* Quod sine dolore cordis, & lacrymis oculorum, Iudæi cernere non poterant. Equidem, vt patriis vtar exemplis, quis nostrum cùm tempore pestis Elborensem Ecclesiam intueretur solitariam, & desertam, sine cantu, sine organis, sine canonicis, sine cæremoniis, nascentibus virgultis ad portarum valuas, in atriisque pascentibus gregibus, lacrymarum habenas cohibere potuisset?

Eo quòd non sint, qui veniant ad solemnitatem.] Ponitur de more Scripturę singulare pro plurali. Nam tres erant celeberrimæ solemnitates, in quibus populus in templo comparere debebat, vt patet Exod. 23. Prima solemnitas erat Paschæ *Exod. 23.* instituta in recordationem illius singularis beneficij, quando Dominus occidit primogenitos Ægyptiorum, & domos Hebræorum Angelus percutiens reliquit illæsas, quoniam sanguine agni occisi linierant vtrumque postem, & super liminaria domorum, in quibus eundem agnum comedebant. Quoniam autem id contigit decima quarta luna mensis primi, hinc, Deo præcipiente, omnibus annis, eodem die, agnus Paschalis

Exod. 12. & Leuit. 23. chalis immolabatur. Exod. 12. & Leuit. 23. atque à transitu Domini, siue Angeli percutientis, & sine cæde Hebræorum transeuntis, & non à *August.* transitu maris rubri, vt Augustinus videtur opinari, tractatu 55. in Ioannem, pascha dicitur; est enim, *phase*, transitus.

Secunda solemnitas erat pentecostes, siue hebdomadarum, mense tertio, die tertia, quo explebatur numerus quinquaginta dierum, siue septem hebdomadarum, à die azymorum, in recordationem legis acceptæ à Deo quinquagesimo die ab egressu ex Ægypto.

Tertia denique solemnitas, atque celeberrima, per spatium septem dierum, erat tabernaculorum, siue scenopegiæ, à figendis scilicet taber-*Leuit. 23.* naculis; habetur enim Leuit. 23. *A quinto decimo die mensis huius septimi erunt feriæ tabernaculorum septem diebus Domino. Dies primus vocabitur celeberrimus, atque sanctissimus, omne opus seruile non facietis in eo, & septem diebus offeretis holocausta Domino.* Causam autem huius celebritatis declarat ipse legislator: *Mense septimo festa celebrabitis, & habitabitis in vmbraculis septem diebus: Omnis, qui de genere Israel est, manebit in tabernaculis, vt discant posteri vestri, quòd in tabernaculis habitare fecerim filios Israel, cùm educerem eos de terra Ægypti.*

Ad has autem tres solemnitates cogebantur omnes masculi Hebræorum conuenire in templum, iuxta illud Exod. 23. *Ter in anno apparebit omne masculinum tuum coram Domino Deo tuo.* Vnde cùm præter masculos, mulieres etiam pietatis & religionis affectu in templum conuenirent,

facilè

facilè coniicere licet, quanta fuerit templi frequentia, quantúsque populi concursus; vt non sine miraculo templum ac ciuitas in gentem populi multitudinem recepisse videretur. Templo verò succenso, ciuitate desolata, sacerdotibus trucidatis, residuóque populi in exilium ducto, cessauit frequentia templi, cessarunt solemnitates, proindéque viæ Sion herbescebant, atque petræ ipsæ, & vrbis ruinæ continuò lugebant.

Omnes portæ eius destructæ.] Illustres portas habebat Ierusalem forinsecus in circuitu murorum. Quædam enim appellabatur porta Fundamenti, ad quam Ioiada 2. Paralip. cap. 23. iussit tertiam partem venientium ad Sabbatū collocari. Alia porta vocabatur Excelsa, quam eodem libro cap. 27. ædificauit Ioathā in muro Ophel. Erat etiam porta Fontis, quam 2. Esdræ cap. 3. ædificauit Sellun filius Cholhoza princeps pagi Maspha, miro opificio cælatam statuens simul valuas, & seras, & vectes. Habebat etiam portam gregis, 2. Esdr. cap. 3. quam Eliasib sacerdos magnus, & fratres eius sanctificauerunt, sanctificantes eam, & statuentes quoque valuas. Eodem etiam cap. filij Asnaa leguntur ædificasse portam Piscium. Portam quoque Vallis ædificauit Hanun & habitatores Zanoe. Portam Sterquilinij ædificauit Melchias filius Rachab. Porta Equorum erat etiam, ad quam sacerdotes ædificabant. Erat quoque porta Orientalis, cuius custos erat Semaia filius Secheniæ. Erat etiam porta iudicialis, quam Melchias ædificauit. Quæ omnia constant ex 2. Esdr. cap. 3. Initio

2. Par. c. 23.

Et cap 27.

2. Esdr. cap. 3.

Ieremia 19. *& cap.* 31. tio autem cap. 19. Ieremiæ videbis portam fictilem tendentem ad vallem filiorum Emnon, in qua Deus iussit Isaiæ prædicare verba desolationis, Et cap. 31. habetur: *Ecce dies venient, dicit Dominus, & ædificabitur ciuitas à Domino à turre* *Et cap.* 39. *Hananael vsque ad portam anguli.* Et cap. 39. habetur: *Omnes principes Babylonis ingressi sunt Ierusalem, & sederunt in porta media, atque per illam ingressum est in Ierusalem excidium Chaldæorum.* *Hector Pintus.* Hector Pintus per portas intelligit iudicia, quæ ad portas exercebantur, quasi dicat: Desiit Ierosolyma esse ciuitas; nam leges in ea nihil valent, iudicia iacent, mos patrius interiit: In quo sensu locutus *Isai.* 3. *Ierem.* 14. est etiam Isaias 3. dum inquit: *Lugebunt portæ eius.* Et Ieremias 14. *Portæ eius corruerunt.* Nam omnes portæ à Chaldæis fuerunt destructæ & incensæ.

Sacerdotes eius gementes] dum occidebantur, vel qui residui sunt, ob acerbitatem seruitutis, vel gementes desiderio sanctuarij, quod videbant destructum & profanatum; aut gemebant for- *Rabbi D. Ioseph.* tasse, vt inquit Rabbi Dom Ioseph, quia cessauerant victimæ & oblationes, quibus sustentabantur.

Virgines eius squalidæ] id est, incompositæ, deturpatæ, puluerulentæ, & seminudæ, præ celeritate, qua fugiebant à facie gladij; etenim nec spatium, nec mens erat satis apta se parandi; tales quippe elapsis annis vidimus in tota Lusitania Virgines moniales, Deo consecratas, per rura, per cymbas, semimortuas incomposite discurrere, hostili Anglorum timore perterritas. Hos quidem dolores cùm Ierusalem pateretur in

mem

membris vtpote in templo, in portis, in ſenibus, in ſacerdotibus, & Virginibus, non poterat non ipſa tota eſſe oppreſſa amaritudine.

In ſenſu autem ſpirituali iuxta D. Hieronymum: *Viæ Sion lugent*, quando animæ Deum in arce mentis, ſpeculantis actiones exteriores, poſt lapſum peccati, turpes atque lugubres apparent, eo quòd non priſtino more affectus eius ad interiora gaudia celebranda occurrant, ſed quinque ſenſibus corporeis, qui portarum nomine notantur, per deſidiam diſtructis pateſcat aditus variis delictis: Eccleſiaſticum quoque officium vileſcat, continentiæ virtus molleſcat; vnde Spiritus ſancti ſuauitate priuata tota in amaritudine vitiorum verſatur. Item, quando Eccleſia pro peccatis ſuis intus foríſque repletur amaritudine furoris Domini, meritò lugent viæ illius, quales ſunt Prophetæ, doctores, & prædicatores, per quos itur ad Deum. *D. Hieron.*

He.] *Facti ſunt hoſtes eius in capite: inimici eius locupletati ſunt: quia Dominus locutus eſt ſuper eam propter multitudinem iniquitatū eius: paruuli eius ducti ſunt in captiuitatem ante faciem tribulantis.*

HÆc prædicta ſunt in Deuteronomio 28. *Tradat te Dominus corruentem ante hoſtes tuos, & diſpergaris per omnia regna terræ.* Et infrà: *Deuter. 28.*

Aduena,

Aduena, qui tecum versatur in terra, ascendet super te, eritque sublimior; tu autem descendes, ipse erit in caput: tu autem eris in caudam. Caput autẽ in Scri-
Psalm. 59. ptura accipitur pro dominatu Psal. 59. *Ephraim*
Psalm. 39. *fortitudo capitis mei.* Et Psalm. 39. *Posuisti tribulationes in dorso nostro, imposuisti homines super capita nostra.* Iustissimo autem Dei iudicio Ierusalem barbaris nationibus subiecta est, siquidem Deo omnes gentes sibi ipsi subiicienti obedire noluit, propterea additur: *Inimici eius locupletati sunt*; hoc est, Chaldæi spoliis Ierusalem locupletati,
Pagninus. seu, vt vertit Pagninus, prosperati sunt.

Quia Dominus locutus est super eam propter multitudinem iniquitatum eius.] In Scriptura sacra, loqui Deum aliquid, est infallibili iudicio de-
Psalm. 59. cernere. Psalm. 59. *Deus locutus est in sancto, lætabor, & partibor Sichimam, & conuallem tabernaculorum metibor*, id est, statuit Deus, vt ego lætitia triumpharem, diuiderem Sichimam, ac totius
Paulus ad Hebr. Palestinæ dominio fruerer. Paulus ad Hebr. 1. *Nouissime diebus istis locutus est nobis in filio*, id est, dedit hominibus filium suum, sicut locutus fuerat olim patribus, cum decreto infallibili Incarnationis. Est igitur sensus huius loci: Quemadmodum Dominus decreuerat ruinam Ierusalem præuisis demeritis, & impœnitentia ipsius; ita eam opere compleuit, & ideo vbi nos legimus: *Quia Dominus locutus est*, in Hebræo habe-
Paraphrast. tur: *Quia Dominus afflixit eam, vel, dolore affecit*
Septuaginta. *eam.* Paraphrastes habet: *Contriuit eam.* Septuaginta, *humiliauit eam.* Vel, quia Dominus locutus est, hoc est, persuasit, siue misit in cor Chaldæorum, vt vastarent Ierusalem toties adulterantem,

tem, iuxta illud Ieremiæ 8. *Loquar aduersus gentem, & aduersus regnum, vt eradicem, destruam, & perdam illam.* *Ierem. 8.*

Moraliter autem hæc verba intelliguntur de dominatu, quem hostes animæ habent super miserum peccatorem; locupletati enim sunt super illum inualescentes vsu vitiorum, & facti fortiores multoties in capite ipsam boni operis intentionem polluunt. Vel, per hostes intelligamus hæreticos, Saracenos, ac infideles, qui locupletati sunt verborum facundia contra Catholicam veritatem disputantes.

Paruuli eius ducti sunt in captiuitatem ante faciem tribulantis.] Illi scilicet, qui secundùm leges belli non debebant occidi. Figuerius intelligit paruulos illos, qui pedibus incedere non poterant. Nam ipsos infantulos hostes furore accensi trucidabant; de quibus intelligitur id quod inferiùs subdit Propheta, cap. 4. *Melius fuit occisis gladio, quàm interfectis fame. Ducti sunt* autem *in captiuitatem*, vt crescentes seruirent Chaldæis: *Ante faciem tribulantis*, id est, ducentis ad tribulationem. Illi enim, qui aliquos captiuos ducunt, faciunt illos pugnis & fustibus ire ante se. Spectaculum sanè miserandum erat cernere greges puerorum, ligatis manibus, ferreis catenis, à complexu matrum auulsorum, relicta dulci patria ferri in captiuitatem. *Figuerius.*

Allegoricè verò lugentur paruuli & imbecilles Christiani, qui non habentes rectores ac defensores: qui saltem, vt canes contra hæreticos, & infideles, latrare possint; à dæmonibus vinculis delictorum constricti deducuntur extra

Eccle

Ecclesiam æternis suppliciis cruciandi; sicque per paruulos apte etiam intelliguntur insensati peccatores, qui penuria scientiæ spiritualis fuerunt capti,& coacti cælestem Ierusalem,hoc est, Ecclesiam relinquere, & in caliginosa Babylonis valle ad aquas amaritudinis exulare, vt adimpleatur quod dictum est per Isaiam, cap. 6. *Propterea captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam.*

Isai. cap. 6.

Vau.] *Et egressus est à filia Sion omnis decor eius: facti sunt principes eius, velut arietes non inuenientes pascua, & abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis.*

IERVSALEM sancta appellatur filia Sion, quia veluti partus montis Sion erat in summitate ipsius; sic Zachar. 9. *Exulta satis filia Sion: iubila filia Ierusalem.* Et Sophoniæ 3. *Lauda filia Sion.* Tam eximia autem erat pulchritudo illius, vt illam comparauerit Regius Vates habitationi lætantium omnium. Psalm. 86. *Sicut lætantium omnium habitatio est in te.* Quasi diceret: ô Ierusalem, videris mihi theatrum exultantium, in quo nulla est tristitia, sed perpetuum gaudium. Alij verò legunt: *Sicut ingenij venæ habitatio.* Id est, ô Sion, in te ædificauit Dominus ciuitatem tam excellentis opificij, vt ingenij ipsius venæ in illo ostendi viderentur.

Zachar. 9.

Sophon. 3.

Psalm. 89.

Hæc

Hæc igitur pulchritudo & venuſtas, hic decor Ieruſalem periit, ciuitate ſolo æquata,regia dignitate amiſſa,regali ſacerdotio extincto.Erat Ieruſalem ſanctuarium Domini, facta eſt receptaculum draconum. Erat habitatio lætantium, facta eſt habitatio lacrymantium:erat Palæſtinæ Metropolis, facta eſt cubile ferarum : erat denique aula principum, facta eſt arietum caula.Et ideo dicitur : *Facti ſunt principes eius, velut arietes, non inuenientes paſcua* : quemadmodum gloria Ieruſalem conuerſa eſt in ſtabulum gregis, ita ipſi nobiles ac principes Ieruſalem, facti ſunt, velut arietes macilenti præ fame, diſſolutis viribus, pauido corde, non defenſionem ſed fugam meditantes;&,vt arietes,qui ad occiſionem ducuntur, abierunt abſque fortitudine ante faciem ſubſequentis, velut arietes etiam præ timore. Ait enim Ioſephus lib. 7.de bello cap.23.in hæc verba : videres autem paulo ante ſuperbos, & factis impiis arrogantes, ita tunc humiles eſſe, ac tremere, vt miſeranda eſſet, quamquam in iniquiſſimis,tanta mutatio. *Ioſeph.*

D. Hieronymus ita allegoricè explicat hunc locum:Filia Sion reliquit decorem ſuum, quando per incuriam cogitationum, perdidit ornamentum virtutum, nec ei ſubueniebant principes ſui : hoc eſt, rationabiles tractatus, quibus reſiſtere debuit inimicis perſequentibus, ſed defecto robore fortitudinis coram hoſte perſequente propulſa eſt in foueam deceptionis. Eccleſia etiam deploratur, cuius pulchritudinem ſatis Spiritus ſanctus commendat 2. Canticorum illis verbis : *Ecce tu pulchra es amica mea.* Et *D. Hieron.* *Canticor.2.*

Psalm. 103. Psalm. 103. explicans quoque ornamenti pulchritudinem inquit: *Confessionem & decorem induisti*; hic autem decor ab ea egreditur, cùm hæreticorum rabie fides corrumpitur. *Facti sunt principes eius*, id est, pastores ac rectores, qui duplici cornu vtriusque testamenti subditos debent defendere, & rebellantes percutere, *velut arietes pascua vita non inuenientes*, ideóque abierunt absque fortitudine diuini verbi, quocumque eos error impellebat, vt qui minare ad pascua vitæ gregem Domini negligunt, ipsi ad pascua mortis legati, velut arietes, in infernum vadant absque robore virtutum.

Zain.] *Recordata est Ierusalem dierum afflictionis suæ, & præuaricationis omnium desiderabilium suorum, quæ habuerat à diebus antiquis, cùm caderet populus eius in manu hostili, & non esset auxiliator ei: viderunt eam hostes, & deriserunt sabbata eius.*

DVOBVS modis possunt hæc verba intelligi. Primo, quòd Ierusalem reducat in memoriam dies calamitatis suæ & impietatis, propter quam iusto Dei iudicio ita afflicta est: quemadmodum filij Iacob, quando in Ægypto tribulatione oppressi considerabant innocen-tiam

tiam Ioſeph, quem vendiderant, dicebant: *Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem noſtrũ.* Secundo modo poſſunt intelligi addendo particulam, *in*, vt ſit ſenſus: *In diebus afflictionis ſuæ recordata eſt Ieruſalem deſiderabilium ſuorum.* Non recordatur autem ad cõſolationem, ſed ad multiplicandum dolorem.

Quæ habuerat à diebus antiquis] tempore ſcilicet Moyſis, quando ita Deus populum Iſraëliticum habebat in delitiis, vt qui Iudæos tangeret, pupillam oculi ipſius tetigiſſe videretur. *A diebus antiquis*] quando Dominus populum illum geſtabat ab vtero, quando in deſerto paſcebat Hebræos, pane de cælo præſtito; omne saporis delectamentum in ſe habente, quando ad extinguendam eorum ſitim conuertit petram in ſtagna, & rupes in fontes aquarum: horum quidem deſiderabiliũ memoria, & cogitatione, Ieruſalem nimiùm torquebatur. Hæc autem, inquit Paſchaſius, iuſta delictorum compenſatio *Paſchaſius.*
fuit cadere in manus hoſtium, recordari iugiter „
dierum non ſolùm afflictionis, ſed & præuari- „
cationis, & ad rerum deſiderabilium vſus anhe- „
lare, vt de afflictione nouus dolor increſceret, de „
præuaricationis confuſione mœſtitia: de rebus „
perditis inardeſceret irremediabilis cõcupiſcẽ- „
tia, de officio religionis ſuæ opprobrium vreret. „

Viderunt eam hoſtes, & deriſerunt Sabbata eius.] Exiſtimo hoc contumeliæ genus ſpectare ad ſecundam deſolationem Ieruſalem in vltionem contumeliarum, quibus in cruce exprobrabant Chriſto ſeruatori. Deridebant enim eum Lucæ *Luc 23.*
c. 23. principes ſacerdotum, dicentes: *Alios ſaluos*

 fecit,

Matth. 27. *Marci.15.* *fecit, seipsum saluum faciat.* Et Matth. 27. & Marci 15. *Prætereuntes blasphemabant eum mouentes capita sua, dicentes: Vah, qui destruis templum Dei, & in tribus diebus reædificas illud : saluum fac temetipsum descendens de cruce.*

Eisdem fere contumeliis afficiebant postea Romani Iudæos; agitabant enim capita, & dicebant: vbi sunt sabbata vestra ô Iudæi? Vbi iactantia sanctitatis & religionis præ omnibus gentibus? Vbi est Deus vester? Quare non eruit vos de manibus nostris? Tūc fortasse recordata est Ierusalem *desiderabilium suorum*, hoc est, Messiæ, quem filij eius crucifixerunt, quémque pater Iacob, iam moriturus, Gen. 49. appellauit *desiderium collium æternorum*. Nam Christū Dominū *omnes colles æternitatis*, id est, omnes angeli, desiderant aspicere, vt inquit D. Petrus canonica prima: imò & omnes prophetæ exultauerunt videre diem eius, quem cùm in spiritu vidissent, gauisi sunt valdè. Igitur impij Iudæi meritò postea in misera captiuitate recordati sunt præuaricationis suæ, quoniam id, quod illis erat desiderabile, propriis manibus trucidantes de medio sustulerunt.

Genes. 49.

D. Petrus canon. 1.

In sensu autem spirituali, recordatur anima dierum afflictionis suæ, & præuaricationis suæ, quando considerat, quòd propter scelus cōmissum iusto Dei iudicio pœnas debitas exoluit. Recordatur etiam *desiderabilium suorum*, hoc est, consolationum diuinarum, quas habebat per Christum, & eorum omnium, quæ nobis promissa sunt in cœlis, quorum comparatione vilescunt omnia quę habentur in terris. Recordatur

autem

autem anima non ad consolationem,sed ad augmentum pœnæ, iuxta illud Sapientiæ 5.*Errauimus à via veritatis,& iustitiæ lumen nobis nō effulsit: lassati sumus in via iniquitatis,& perditionis,ambulauimus vias difficiles. Quid nobis profuit superbia, aut diuitiarum opulentia? Transierunt omnia tanquā vmbra mortis,in malignitate nostra consumpti sumus.* *Sap.5.*

Sabbata quoque nostra irridentur à dæmonibus, cùm à nobis violantur; tales enim, non dicam iam seculares, sed & ipsi Ecclesiastici se habent in diuinis rebus, & sacramentis tractādis,vt non solùm ab ipso immortali iudice Sabbata eorum exprobrentur,sed etiam ab hostibus irrideantur. Isaiæ cap. 1.habetur: *calendas vestras, & solemnitates vestras odiuit anima mea.* Et Malachiæ 2.*Dispergam super vultus vestros stercus solemnitatum vestrarum.* Cùm enim dies festos instituerit Deus,vt in ipsis fideles Deo vacarent,dum id opere impletur,festus dies Dei est;si verò carni & vanitati vacas, tunc dies festus tuus est, & non Dei. *Isai.1.* *Malach.2.*

Impij autem illud efficiunt, quod in Psal.33. habetur:Quiescere faciamus omnes dies festos Dei à terra. Iure enim diem festum Dei tollit, qui eum consumit in peccato. Multi,pro dolor, sunt etiam hodie similes insciis Israëlitis, qui putabant in Sabbato non esse pugnandum cum hostibus, 1. Machabæorum cap. 2. qua ratione plurimi interierunt: sic nunc multi fideles existimant, in die festo non esse pugnandum cum vitiis,& ideò miserè pereunt, quare iure hostes derident sabbata nostra. *Psal.33.* *1.Machab.2.*

Heth.] *Peccatum peccauit Ierusalem, propterea instabilis facta est: omnes, qui glorificabant eam, spreuerunt illam, quia viderunt ignominiam eius: ipsa autem gemens conuersa est retrorsum.*

REddit Propheta causam instabilitatis Ierusalem, & desolationis ipsius, vt pote peccatum maximum, quod per antonomasiam peccacatum vocat, scilicet idololatriam, quod quidem peccatum priorem induxit desolationem; insuper & mortem Christi Domini, in cuius iustissimam vltionem secundò desolata est Ierusalem absque spe vlla reuocationis. Hoc autem peccatum iure optimo infidelitas potest appellari. Si enim Iudæi Messiam cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Iam autem infidelitatem appellari simpliciter peccatum, satis
Ioan.16. probatur Ioãnis 16. vbi inquit Christus Dominus, quòd Spiritus sanctus *veniens in mundum arguet mundum de peccato, quia non crediderunt in filium Dei.* Est ergo Ierusalẽ instabilis facta, quia peccatum peccauit. Nam fundamentum Ierusalem, est Christus Dominus, super quem Apostoli, Prophetæ, ac omnes fideles ædificati sunt. Est etiam Christus Dominus petra angularis Syna-
Ephes.2. gogæ, vt eum vocat Paulus ad Ephesios 2. Sublato igitur hoc fundamento, reprobata hac petra angulari, necesse est, quòd nõ solùm nutet

tet Ierusalem,& Synagoga instabilis fiat, sed & omnino corruat.

Fides etiam, vt inquit idem Paulus, ad Hebræos 11. est firmamentum ac columna veritatis, supra quàm Apostolus erigit totam Ecclesiæ machinam. Ecclesia namque, vt inquit Augustinus, *credendo fundatur, sperando erigitur, amando perficitur.* Si ergo Synagoga velut cęcus Samsom per idololatriam & infidelitatem, hanc columnam auulsit, quomodo non nutabit, & instabilis erit Ierusalem? Clamabit populus Israël ad Pilatum: *Tolle hunc, & demitte nobis Barrabam.* Sublato igitur Christo, cui adhærebit Ecclesia Iudæorum? Succumbat ab alto culmine necesse est, ita vt non maneat in ea lapis supra lapidem. *Hebr. 11.* *Aug.*

Omnes, qui glorificabant eam, spreuerunt illam.] Hæc est lex, & conditio amicorum huius seculi: Etenim, vt inquit Ecclesiasticus cap. 6. *Amicus secundùm tempus, & non permanebit in die tribulationis.* Et Prouerb. 14. *Diuitiæ addunt amicos, pauper verò etiam ab amicis deseritur.* Quod Poëta Ouidius, eiectus in exilium ploràbat: dicens: *Ecclef. 6.* *Prouerb. 14.* *Ouidius.*

Donec eris felix, multos numerabis amicos:
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Quando Ierusalem erat opulenta, diuitiisque affluebat, beatam illam dicebant Ægyptij, & omnes vicini populi: at vbi corruit, vt misera & infelix ab omnibus spernebatur. Paschasius, nomine glorificãtium intelligit Scribas & Pharisæos, qui lucri causa peccantem populum di- *Pasch.*

cebant beatum;& è conuerso plebs delinquens, quia tolerabatur, beatos vocabat illos, & columnas in domo Domini:sed postquam vexatio illis dedit intellectum, se inuicem spernebant, propterea quòd adulationibus crediderunt.

Quia viderunt ignominiam eius.] Erat Ierusalem forinsecus sepulchrum dealbatũ mira sculptura cælatum, intus habebat fœtorem horribilem peccatorum: destructo autem sepulchro, ita vt non maneret lapis supra lapidem, apparuit horribilis scelerum turpitudo. Quod vel ipse Nabusardam princeps militiæ Chaldæorum intel-

Ieremiæ 40. lexit, dum cap. 40. Ieremiæ dixit: *Dominus Deus tuus locutus est malum hoc supra locum istum, & adduxit, & fecit Dominus, sicut locutus est.* Tunc quo-

Oseam 2. que adimpletum fuit, quod per Oseam cap. 2. dictum est: *Et nunc reuelabo stultitiam, & fœditatem eius in oculis amatorum eius.* Amantes quidẽ procurant fingere decorem, & pulchritudinem, vt placeant oculis eorum quos diligunt: imò & si quam habent turpitudinem, eam arte adulterant, ne si fortè reueletur, nimio afficiantur rubore in conspectu intuẽtium. Deus bone! si hæc ita sunt, quæ verecundia, quæ confusio faciei nostræ erit in die iudicij, quem Apostolus *diem reuelationis* appellat: quando, quæ in aure locuti sumus, reuelabuntur vniuerso orbi; quando vel minima cogitatio turpis manifestabitur? Iure tunc sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum; ac si planetæ illi purissimi oculos claudant, ne reuelatam mortalium turpitudinẽ intueantur. Filij Noe patris turpitudinem operuerunt: Christus pater optimus turpitudinem fi-

liorum

liorum reproborum tunc aperiet. Qua propter secuti consilium D.Pauli 2.Corinthior. cap. 4. *Abdicemus occulta dedecoris*, quod Lusitanè dicimus *viuamos hua vida, que se possa ver na praça*, vt sine timore &, pudore scelerum nostrorum apparere possimus in conspectu altissimi. D. Paul. 2. Cor. cap. 4.

Inter acerbissima genera passionum, quas Christus Dominus passus est, meo quidem iudicio primum locum habet verecundia, quam agnus ille innocentissimus sustinuit, dum semel in prætorio Pilati nudatus, ad columnámque duris flagellis verberandus, est ligatus; & iterum in monte Caluario, vt crucifigeretur, non tam nudatus quàm dilaniatus fuit. Hæc autem Christi verecundia suo quasi iure postulabat, vt populus ille ingratus eâdem verecundiæ pœna multaretur: quoniam Ierusalem Dominum gloriæ vestibus nudauit, ipsa quoque denudata, omnique gloriæ specie spoliata, & lacerata est.

Ipsa autem gemens, & conuersa est retrorsum.] Paschasius, in his verbis agnoscit habitum & affectum captiuorum, qui cum dolore à patria auulsi, gemitibus & suspiriis retrò aspicientes eam vltimò salutant. Sic Ouidius in exilium pulsus, dum turres & Capitolia Romana retrò aspiceret, flens salutabat in hunc modum.

Numina vicinis habitantia sedibus inquam,
Iamq; oculis nũquam tẽpla videnda meis.
Dÿq; relinquẽdi, quo Vrbs habet alta Quirini.
Este salutati tempus in omne mihi.

Parti

Particula autem & sumitur pro *quia* vsitatissimo more Scripturę: Exod. 16. *scatere capit vermibus atque computruit*, id est, postquã computruit. Et Isaiæ 64. *Tu iratus es, & nos peccauimus*, id est, quia nos peccauimus. Et Lucæ 1. *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui*: hoc est quia benedictus fructus ventris tui, ideo tu benedicta es inter mulieres. Est igitur sensus huius loci: Postquam Ierusalem se vidit retro actã, ingemuit, indoluit, fleuítque amarè, quia scilicet omnia bona sua in peius ruebant, quod dicimus Lusitanè *tudo lhe tornaua atras*. Rabbi Dauid ita exponit: Aliud inuenit Ierusalem ab eo diuersum, quod putabat; quod Lusitanè quoque dicimus *Socedeolhe ao reues* quo etiam modo intelliguntur verba eiusdẽ Ieremiæ, c. 7. *Abierunt in prauitate cordis sui*, id est, retrò abierunt, cogitatione sua.

Exod. 16.
Isai. 64.
Luca 1.
Rabbi Dauid.
Ieremia 7.

Rabbi Dom Ioseph intelligit locum istum de pœnitentia Iudæorum. Namque, inquit ille, vbi Synagoga intellexit se propter peccatũ incidisse in miseriam & captiuitatem, gemuit, & indoluit, atque pœnitentiam egit, & conuersa est retrorsum. Cui sententiæ fauet Glossa interlinearis; vbi ipsa autem peccatum cognoscens, gemens conuersa est retrorsum ad Deum, quem reliquerat, per pœnitentiam. Iuuat in huius rei sententiam, quòd locus *retrorsum*, est locus pœnitentium. Sic Maria Magdalena sedẽs secus pedes Domini, stabat retro. Lucæ cap. 7. quia scilicet non audebat apparere ante iudicem, quem offenderat, Sedebat retro, quia erubescebat inter epulas ostendere conuiuantibus

Rabbi D. Ioseph.
Gloss.
Luca. 7.

uantibus

uantibus ignominiam & turpitudinem peccatorum suorum. Sedebat etiam retrò, vt poss et deinceps semper videre ac sequi vestigia IESV, quem iam toto corde diligebat. Veruntamen cùm conuersio retrorsum dicat propriùs mutationem in peius, casum, ac ruinam; prior explicandi modus mihi magis placet.

Teth.] *Sordes eius in pedibus eius; nec recordata est finis sui: deposita est vehementer, non habens consolatorem: vide Domine afflictionem meam: quoniam erectus est inimicus.*

RABBINVS Solomo, & Rabbi D. Ioseph, Paraphrastes, Brixianus, Pagninus, & alij, agnoscunt in Synagoga meretricem adeò turpem, vt sordes sanguinis menstrui appareant in fimbriis vestimenti ipsius. Rabbi autem D. Ioseph, quem refert, & sequitur Figuerius, ait duplex esse genus meretricum turpiter fornicantium. Aliæ enim sunt, quæ cum verecundia peccant, nec prorsus naturalem pudorem deposuerunt; aliæ, quæ sine vllo Dei, vel hominum timore, publicitus fornicantur. Atque huic posteriori meretrici fornicanti comparat Ierusalem. Nam velut meretrix perfrictæ frontis ante priorem desolationem idola publicè colebat, postea verò in necem viri ipsius Christi O. M. quem iam per adulteria offenderat, conspirauit.

Rabbinus. Solomo. Rabbi D. Ioseph. Paraphrast. Brixian. Pagnin.

In

In cuius vltionem reuelauit Deus turpitudinem & sordes ipsius, iuxta ea quæ antea prædixerat idem Ieremias cap. 13. *Reuelata sunt verecundiora tua.* Et infrà: *Nudaui femora tua.* Et Nahum cap. 3. *Reuelabo pudenda tua.* Dicuntur autem sordes esse in pedibus, sumpta metaphora à muliere menstruata, ad cuius pedes sanguis menstruus guttatim defluit. Vel, per pedes intelliguntur extremitates vestis, iuxta illud Exod. 28. *Deorsum verò ad pedes eiusdem tunicæ per circuitum quasi mala punica facies ex hyacintho & purpura.* In quo sensu ita possumus hunc locum interpretari: tanta erat in Ierusalem turpitudinis abundantia, vt vel in extremitates vestium redundaret.

Ierem. 13.
Nahum 3.
Exod. 28.

Primasius. Primasius considerat Ierusalem velut viduam afflictam, & itineris molestiis fatigatam, atque ideo sordidam pedibus, qui explicandi modus mihi, vt purior, magis placet.

In spirituali autem sensu per pedes intelliguntur affectus animi, in quo quidem sensu intelliguntur illa verba Psalm. 39. *Statui supra petram pedes meos*, id est, firmaui affectiones meas super Christum, qui est petra. Et Zacharias Lucæ cap. 1. inquit: *Illuminare his, qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* Vt enim corpus ambulat pedibus, ita anima affectibus. Et fortè in huius rei significationem Deus Leuitici 1. præcepit intestina ac pedes victimæ lauari aqua, id est, affectus, & motus animi, qui per pedes significantur, insuper & latentes cogitationes, velut intestina recondita in vtero animæ, ablui sacramentis. Prauæ autem cogitationes & affectus Ierusalem aduer

Psalm 39.
Luc 1.
Leuit. 1.

aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius ſatis apparuerunt, quando illa à Chaldæis, & poſtea à Romanis nudata, & lacerata eſt.

Gloſſa autem ordinaria per ſordes pedum intelligit maculas peccatorum contagione terræ contractas. In quo ſenſu loquebatur Iſai. 52. quando volens reuocare Ieruſalem à via peccatorum dicebat: *Conſurge Ieruſalem, excutere de puluere*. Et Pſalm. 43. dicebat Dauid: *Humiliata eſt in puluere anima mea*, hoc eſt, in ſorde peccatorum meorum. Et ideo Chriſtus Dominus, in qua nocte tradebatur, lauit pedes diſcipulorum illo ſacro lauacro, pœnitentiæ ſacramentum præfigurante, vt ablutione exteriori macularum pedum, ſignificaretur interior ſcelerum ablutio; & quòd, quemadmodum linteo, quo erat præcinctus, tergebat ſordes pedum; ita & in ſacra humanitate, qua diuinitas tegebatur, iniquitates omnium noſtrorum portauit. Cùm autem Chriſtus Dominus eſſet via; ſupra pectus, & cor Iudæ proditoris, & cæterorum diſcipulorum, pedes collocauit, vt tandem ab illo in viam pacis dirigerentur. Pedes autem ideo inſuper lauit, vt pulchri eſſent ac mundi per totúmque orbem prædicaturi diſcurrerent, vt qui Apoſtolos viderent, & audirent, iure optimo dicerent: *Quàm pulchri ſunt pedes euangelizantium, calceati pedes in præparatione Euangelij pacis*, vt loquitùr D. Paulus ad Epheſ. 6. Et quoniam erant calcandi gemmis, ideo priùs lauandi. Quomodo enim filia principis, quæ eſt Eccleſia Dei, Canticorum 7. poterat habere pulchros greſſus in calceamentis, niſi ſordes priùs excuteret de pedibus?

Gloſſa.

Iſai. 52.

Pſalm. 43.

Paul. 6. ad Epheſ.

Canticor. 7.

bus? Erant præterea pedes Petri, Andreæ, & aliorum, crucibus affigendi, & sacro cruore ornandi; erant in terra ambulaturi super aspides, & basiliscos, conculcaturíque leones, & dracones; erant in fine seculi rapiendi per aëra in nubibus obuiam Christo; ideo iure optimo erant lauandi, & à sordibus purificandi.

Hector Pintus. Sed, vt vnde nostra egressa est, reuertatur oratio, Hector Pintus eleganter quidem per pedes Ierusalem, antiquas eius victorias intelligit; ex eo fundamento, quòd victores in triumphis solebant ad pedes ducere victos, & quia in victoriis nimia superbia & insolentia efferebatur Ierusalem, dicitur habere sordes superbiæ in pedibus, hoc est, in victoriis habere insolentiam.
Psalm. 35. Atque in hoc sensu explicat verba Psalm. 35. *Non veniat mihi pes superbiæ*, id est, non triũphet de me superbia. At verò cùm non vno tantùm vitio laborauerit Ierusalem, potiùs per sordes intelligamus vniuersitatem peccatorum, propter quæ misera ciuitas iram Dei meruit.

Nec recordata est finis sui.] Duas causas assignat Ieremias, propter quas Ierusalem deposita est vehementer, videlicet sordes peccatorum, & mortis obliuionem. Et prior fortasse est effectus posterioris; ideo namque sordes peccatorum habet Ierusalem, & omnis anima, quia non
Ecclesiast. 7. recordatur finis sui; namque, vt inquit Ecclesiasticus cap. 7. *Qui recordatus fuerit nouissimorum suorum in æternum non peccabit.* Carinam arcæ Noe, in qua reliquiæ generis humani, & semina viuentium claudebantur, in effigiem hominis demortui fuisse efformatam affirmant grauissi-

mi

mi Rabbini, vt poſt Adæ peccatum intelligant mortales ſe mortis naui euehi, atque incertos, qua die ſiſtere debeant, ad mortis promontorium nauigare. Quis autem nauta, vel rudis abyſſi viator, non cogitat ſingulis diebus de fine nauigationis? Niſi homo claudat per vim oculos mentis, nullibi erit, vbi mortis memoriam non inueniat. In lecto poterit videre temulentum Olofernem mortuum, Iudith cap. 13. In pariete effigies mortis, ac tremendum iudicium apparebit, ſicut apparuit Balthaſari, Danielis 3. quem in throno maieſtatis ſuæ adeò deterruit vmbra mortis in pariete depicta, vt exanimatus corruerit in terram. Si ad agrum exieris, ruſticandi animi gratia, ibi quoque mortem inuenies, ſicut inuenit Abſalom è quercu ſuſpenſus 2. Regum cap. 18. In potu, ſicut ſizara 4. Iudicum, Et in olla, ſicut filij Prophetarum, in conuiuio Eliſæi, & filij Iſrael, in deſerto. Habetur namque Pſalm. 77. *Adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos, & occidit pingues eorum.*

Iudith 13.

Danielis 3.

2. Regum 18.
Iudicum 4.

Quàm grata autem ſit Deo Optimo Maximo mortis recordatio, ac præparatio, ſatis ex Euangelio probatur. Cùm enim Matthæi 26. & Marci 14. diſcipuli indignati eſſent, quòd Magdalena effuderit alabaſtrum vnguenti pretioſi ſupra caput Chriſti recumbentis, reprehendit Chriſtus Dominus diſcipulos, quòd moleſti fuerint illi mulieri, eámque nimiùm laudauit, quòd illa cæremonia ſe quaſi accingeret ac præpararet ad magiſtrum ſepeliendum die mortis: habet enim Marcus: *Prauenit vngere corpus meum*

Matth. 26.
Marci 14.

in

in sepulturam; & Lucas inquit: *Ad sepeliendum me fecit*, in quo vsqueadeò bonum opus operata est, vt vbicumque prædicatum fuerit Euangelium hoc in toto mundo; & quòd hæc fecit in memoriam eius, enarrandum Christus Dominus promiserit.

Albert. Magnus.

Albertus Magnus in tractatu de Vegetabilibus, ait coruum non redire ad nidum, si in eo ponatur puluis vitri. Sic equidem Cacodæmon fugit à nido cordis nostri, si in eo cinis ac puluis fragilitatis nostræ ponatur. In veteri lege iubebat Deus, pennas auium sacrificiorum proiici in locum in quem cineres effundi solent, quia scilicet nulla res est quæ magis elationem mentium nostrarum deiiciat, ac deprimat, quàm cineris recordatio. Et Salomon Ecclesiast. 7. ait, melius esse ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij, in domo enim luctus admonemur finis nostri, & viuens cogitat vnusquisque quid futurum sit de illo. Ego verò in verbis huius nostri versiculi noto magnam Ierusalem, & peccatoris miseriam, quòd cum illa fuerit infixa in abismo profundæ calamitatis, & inquinata sordibus peccatorum; non tamen recordabatur finis sui, id est, mortis, vel saluatoris, à quo sibi auxilium poterat venire.

Salomon Eccles. 7.

Per finem accommodatissimè quoque intelligit Glossa interlinearis Christum Dominum, qui à D. Paulo Romanorum 10. appellatur *finis legis ad iustitiam omni credenti*. Et Apoc. 1. dicitur: *principium & finis rerum omnium*. Cùm autem Synagoga non est recordata Messiæ saluatoris, & legis ipsius, cuius amore debebat virtutes amplecti,

Paul. Rom. 10.
Apoc. 1.

plecti, & timore vitia formidare, meritò sordibus polluta est, à solióque regali deposita, vehementer, id est, subitò cum hominum stupore & admiratione. Hic adimpleta est prophetia Virginis matris Lucæ 1. dum salutata, atque laudata ab Elisabeth, inter alia verba illius de cachordaci cantici, inquit: *Deposuit potentes de sede*, hoc est, superbos Iudæos, & ad eorum thronum exaltauit humiles gentiles, illósque esurientes impleuit bonis spiritualibus, & diuites dimisit inanes, & extorres regno, sacerdotio, lege, ac prophetis. *Luca 1.*

Non habens consolatorem.] scilicet Spiritum sanctum, qui per antonomasiam consolator appellatur; & in hymno Pentecostes ab Ecclesia exoratus vocatur consolator optimus, dulcis hospes animæ, dulce refrigerium. At hic dulcis hospes animæ in sordida domo habitare nequit, proindéque cùm Ierusalé sordes habeat in pedibus, non habet consolatorem. Nam Spiritus sanctus cum Dagon in eodem templo commorari nequit, sicuti nec lux cum tenebris, gratia cum peccato, & priuatio cum habitu, cuius est priuatio, in eodem subiecto reperiri possunt.

Vide Domine afflictionem meam, quoniam erectus est inimicus.] Per apostrophen introducitur ipsa captiua Synagoga, his verbis in cælum vociferans, & à supremo rerum molitore auxilium petens. Eisdem quoque ferè verbis vtitur inferiùs; dum inquit: *Vide Domine, & considera, quoniam facta sum vilis.* Et cap. 5. *Intuere, & respice opprobrium nostrum.* Solam autem suam afflictionem respicit, solum opprobrium sentit, ab affli- *Cap. 5.*

ctione liberari vult, ab onere exilij alleuiari, peccatum non plorat, de offensa Dei non curat, pro culpa non ingemiscit, de sola pœna contristatur, inimicorúmque triumphis corroditur.

Quoniam erectus est inimicus.] Alij legunt in Hebræo: *Quoniam magnificat se inimicus*, victoria scilicet triumphans. Paraphrastes addit: *Quoniam superbit, & iactat se inimicus super me.* Agnoscebat Ierusalem, nullum esse vitium, cui magis diuina bonitas resistat, quàm superbia; ac proinde, vt Deum prouocet in vindictam hostium, obiicit eorum superbiam, qua petulantes templum prophanabant, sacráque omnia conculcabant, & ideo addit sequentia verba.

Paraphrast.

Iod.] *Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius: quia vidit gentes ingressas sanctuarium, de quibus præceperas, ne intrarent in Ecclesiam tuam.*

CHALDÆVS hostis, & postea Romanus, misit manum suam ad sancta sanctorum, ad quæ non licebat nisi solis sacerdotibus, semel in anno, & cum sanguine introire, vasa decoris abstulit, sanctuarium prophanauit, totúmque templum succendit. Quod iam satis Isaias cap. 64. lugens prædixerat his verbis: *Ierusalem desolata est domus sanctificationis nostræ, & gloriæ nostræ, vbi laudauerunt te patres nostri, facta est in exustionem ignis, & omnia desiderabilia nostra versa sunt*

Isai. 64.

ſunt in ruinas. Per deſiderabilia intelligunt aliqui libros ſacræ Scripturæ,qui à Moabitis, & Ammonitis in direptione vrbis fuerunt quæſiti, & concremati, irati enim erant vehementer huiuſmodi populi contra ſacros libros,ex eo quod Deuteron. 23. ſcribitur: *Ammonites & Moabites non intrabunt in Eccleſiam Dei in æternum.* Et ideò quando in direptione vrbis Chaldæi ad aurum capiendum concurrebant,Ammonites & Moabites manum mittebant ad ſacros libros, vt eos comburerent. Deuter. 23.

Quòd autem libros Scripturæ ſacræ poſſimus appellare *deſiderabilia Synagogæ*,ſatis probatur ex illis verbis Pſalm. 18. *Iudicia Domini vera iuſtificata in ſemetipſa, deſiderabilia ſuper aurum, & lapidem pretioſum.* Iuſtiſſimo autem Dei iudicio, illi,qui ſecundùm leges & ſcripturas viuere neglexerunt, ipſa lege & ſcripturis priuati ſunt: ait enim D. Hieronymus, propter peccata populi, hoſtilis exercitus deuaſtat templum Domini,& ornatum eius deiicit, repulit enim Dominus tabernaculum ſuum, in quo habitauit inter homines, & tradidit in captiuitatem, virtutes eorum,& pulchritudinem eorum ſpreuit. Pſalm. 18. D. Hieron. » » » » »

Quia vidit gentes.]Moabitas ſcilicet,& Ammonitas, ingreſſos ſanctuarium, vbi in latere arcæ teſtamenti lex ſeruabatur, & potiſſimùm, Deuteron. Paraphraſt.autem, vt ſenſus planior fiat, ſubintelligit hoc loco ſequentia verba. *Cæpit quoque Synagoga,& Iſrael plangere, & eiulare, quia vidit gentes ingreſſas ſanctuarium.*] Paſchaſius aliter explicat hunc locum: Ideò hoſtis miſit manum ſuam ad omnia deſiderabilia Ieruſalem, Paraphraſt. Paſchaſius.

quia vidit gentes, hoc eſt,Iudæos,gentiliũ more viuentes, ſine pudore, ingredi ſanctuarium Dei. Ego verò nomine gentium, non Iudæos, ſed gentiles intelligo, vt ſit ſenſus; ideo Deus permiſit tẽplum à Chaldæis & Ammonitis primò prophanari, & poſtea à Romanis omnino deſtrui, quia Iudæi fuerunt negligentes in obſeruatione legis, permittentes gentes ingredi ſanctuarium, de quibus ille præceperat, ne intrarent in Eccleſiam ſuam,locum ſcilicet fidelibus Iudæis & ſacerdotibus deſtinatum.

In ſenſu autem morali peccatum ingrediens atrium animæ, vt crudelis hoſtis non ſolùm eã ſeparat à Deo, ſed etiã omnibus gratuitis donis ſpoliat,quod iuſtiſſimus iudex rerum omnium moderator permittit,quia vidit prauas cogitationes,& voluptates ingreſſas ſanctuarium animæ,quibus oſtium claudere ipſa tenebatur: tũc pudicitia corrumpitur, abſtinentia euertitur, & princeps tenebrarum omnes muros animæ, qui ſunt virtutes animam cuſtodientes,euertere conatur. Quoniã, vt inquit D. Greg. hom. 29. *Non curat antiquus hoſtis, vt terrena tollat, ſed vt charitatem in nobis feriat.*

D.Gre.hom. 29.

Allegoricè verò diabolus manum ſuam mittit ad deſiderabilia Eccleſiæ, in membris ſuis fidem contaminans, baptiſma profanans,doctrinam corrumpens, corpus & ſanguinem Domini indignè contrectans,& vaſa pretioſa, hoc eſt oues Chriſti,quaſi lupus deuaſtans. Cauſa verò tanti mali redditur,quia gentes carnem amãtes, quaſi præputium retinentes, & Chriſti circũciſionẽ non habentes,miniſtri altaris efficiuntur.

Caph.]

Caph.] *Omnis populus eius gemens, & quærens panem: dederunt pretiosa quæque pro cibo ad refocillandam animam. Vide Domine, & cõsidera, quia facta sum vilis.*

HOrret animus legere quæ Iosephus 7. lib. de bello c.11. refert de fame, qua miseri Iudæi in vrbis obsidione per Romanos facta oppressi sunt; ait enim ille, infinitam fuisse multitudinem eorum qui per ciuitatem fame corrũpebantur. Fides namque penuriæ, vt ille loquitur, nec morientibus quidẽ habebatur, sed etiã, quos videbant spirare, scrutabantur latrones, ne cibũ occultans sinu quispiam moriretur, domos easdẽ bis aut ter eodem momento desperatione inquietabant, ea colligentes, quę nullum quamuis sordidissimum animalium non horrerẽt comedere: denique nec cingulis, nec calceamentis pepercerunt, coriáque detracta mandebãt: quin etiã fœni veteris laceramẽta metui habebantur. *Ioseph. 7. de bello cap. 11.*

Nec opus est famis improbitatem ex rebus anima carentibus demonstrare; refert enim idẽ Iosephus factum dictu horrendum, & nec apud Græcos, nec apud Barbaros cognitu audituque credibile; mulier enim quædam, Maria nomine, filia Eleazari, grauiter indignabatur, quòd nullus militum, vel iteratus, vel miserans eam velit interficere; vndique autẽ adẽpta iã ei erat reperiendi cibũ facultas, famésque visceribus & medullis irrepserat. Igitur vi animi, ac necessitate

impulsa aduersus naturam excitatur, raptúmque filiũ, quem lactentẽ habebat, occidit, coctúmq; comedit medium, ad opertum reliquũ seruauit seditiosis militibus. Talem planè rabiem famis
Deutero.28. scriptam via maledictionis, Deut.28. inuenies; habetur enim: *Obsideberis inter portas tuas, & comedes fructum vteri tui, & carnes filiorum tuorum, & filiarũ tuarũ.* De hac quoque fame locutus fuerat
Ieremias 38. Ieremias c.38. dum inquit: *vnusquisque dabat pro cibo pretiosa, & expectabilia, quæ habebat ad vitam*
Rabbi D.Ioseph. *sustentandam.* Rabbi D.Iosephus per *pretiosa* aptè intelligit filios, quos occiderunt, & comederũt, filij namque in pretio haberi solent.

Sed germanior sensus est, si per *pretiosa*, quæ populus Israël dedit pro cibo ad refocillandam animam, intelligamus gemmas annulos aureos, torques, totámque pretiosam suppellectilẽ, quã miseri Iudæi pro exiguo cibo commutabant. Nec mirum si Iudæi fame oppressi id fecissent,
Genes.25. cùm legamus Genesæos 25. Esau venientem de agro lassum vendidisse primogenita sua fratri Iacob pro pane, & lentis edulio; parui pendens, vt notat Scriptura sacra, quòd primogenita vendidisset.

Vide Domine, & considera, quia facta sum vilis.] Repetit diuersis verbis, quod iam superiùs dixerat. Dixerat superiùs: [*Vide Domine afflictionem meam, quoniã erectus est inimicus.*] Modò ait, [*Vide Domine, & considera, qui facta sum vilis.*] Nam erecto inimico consequens erat, vt Ierusalem fieret
D. Hieron. vilis. D.Hieronymus hoc loco inquit: vilis plebs Dei efficitur, quando prauorum numero crescente in eis non summa & cœlestia, sed abiecta, & terrestria sectatur. Lamed.]

Lamed.] *O vos omnes, qui trāsitis per viam, attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus: quoniam vindemiauit me Dominus, vt locutus est in die funeris sui.*

AFFLICTIS consolatio esse solet, quòd alij ipsis compatiātur propter rationes ex D. Thoma iam allatas ad illa verba: *Non est qui consoletur eam* &c. Sic, vt Sanctum Iob consolarentur amici eius, cap. 2. exclamantes plorauerunt, scissisque vestibus sparserunt puluerem super caput suum in cœlum, & sederunt cum eo in terra septem diebus, & septē noctibus, & nemo loquebatur ei verbum, videbant enim dolorem esse vehementem. Quòd verò non esset, qui cōdoleret, & cōpateretur sibi; cōqueritur quoque Psalmista Ps. 68. *Sustinui, qui simul contristaretur, & non fuit.* Namque, vt inquit Seneca traged. 2. *Iob 2.* *Psalm. 68.*

Lentiùs luctus, lacrymæque mordent,
Turba quas fletu simili frequentat.

Illustri igitur prosopopeia introducit Propheta Ierusalem, velut afflictam viduam sensu penè amisso impetu doloris ad vias currentem, & omnes transeuntes hortantē, vt doloris sui magnitudinem considerent; quasi dicat: Sanctuariū distruitur, templum profanatur, altaria euertuntur, lumen candelabrorum extinguitur, libri concremantur, sacerdotes, & Leuitæ captiuantur, virgines & vxores hostili libidine

Figuerius. polluuntur. Figuerius eleganter quidem comparat Synagogam mendico, qui in via publica ſedens, plagas & vlcera oſtendit, exclamans, vt miſerationem moueat, opémque à tranſeuntibus conſequatur.

D. Hieron. Si autem quæras: quare eos tantùm, qui tranſeunt per viam, ad inſpiciendum dolorem ſuum Ieruſalem inuitet? Reſpondit D. Hieronymus, eos, qui præſentem vitam, non quaſi viam tranſeunt, ſed veluti in patria conquieſcunt, luctum cordis electorum minimè conſiderare, & ideò illos tantùm, vt dolorem ſuum conſiderent, exquirit, quos in hoc mundo contingit animam non fixiſſe.

Dauid Pſal. 125. Allegoricè vero noſtra Sion, cuius conuerſatio in cœlis eſt, in terris poſita membra ſua intuetur, & quę patiuntur, cum animi dolore conſpicit, ac proclamat: *O vos omnes*, ſcilicet Sācti, de quibus Dauid Pſ. 125. dicit: *Euntes ibant, & flebāt, mittentes ſemina ſua.* Vos, inquam, qui per viā regiam, qui eſt Chriſtus, & illius veſtigia ſecuti tenditis in cœlum. Vos, qui nec ad dexterā, nec ad ſiniſtram declinatis, ſed vocati ad dapes cœleſtes agnum Paſchalem ſecundùm legem comeditis feſtinātes: nolo equidem vos ab hac via reuocare, ſed obſecro, vt dolorem meum conſideretis, vt veſtra ope & auxilio aliquam recipiam conſolationem; filios educaui, vt cum Chriſto regnarent educti de miſeria exilij, ſed multi aberrant, multi exaſperant, multi languēt, pauci ſunt, qui venire curent, omnibus facta ſum omnia, vt omnes lucrifaciam, pro omnibus lugeo, pro omnibus vror.

Accom

Accommodari etiam ſolent hæc verba à concionatoribus tempore paſſionis, virgini matri, gladio doloris tranſuerberatæ, iuxta pendentis filij crucem, vel Eccleſiæ ſanctæ, inſtar viduæ, ſponſi indulgentiſſimi necem acerbiſſimam deplorantis. Sed noſtrum intentum non eſt in allegoriis plurimùm immorari.

Quoniã vindemiauit me Dominus, vt locutus eſt.] Synagogam appellari in ſacra Scriptura *vineam* Domini, nemo eſt, vel mediocriter in diuinis literis verſatus, qui ignoret. Iſaiæ 5. *Vinea Domini exercituum domus Iſrael.* Et iterum: *Expectaui, vt faceret vuas, fecit autem labruſcas.* Ieremiæ 2. *Ego te plantaui vineam electam.* Hæc eſt vinea, de qua loquitur Chriſtus Dominus Lucæ 21. quámque tranſtulit de Ægypto, & turrim ædificauit in medio, id eſt, templum, de quo dicitur Micheæ 4. *Et tu turris gregis nebuloſa filia Sion.* Dicit autẽ templum turrim gregis, quia ad illud ter in anno grex Iudæorum conueniebat.

Iſai. 5.
Ierem. 2.
Luca 21.
Michea 4.

Hanc quoque vineam commẽdat regius vates ſatori ipſius optimo maximo, Pſal. 75. in hæc verba: *Reſpice vineam iſtam, & perfice eam, quam plantauit dextera tua.* Cui quidem Prophetæ veluti reſpondens introducitur ipſe Deus ſequenti verſu: *Opus manuum mearum es tu, hæreditas mea Iſrael.* Singulari namque dilectione ſolet quis proſequi vineam & arbores, quas manu propria plãtauit, ad eas ſæpe oculos dirigit, ſæpe eas viſitat. Vnde eſt, quod Deuter. 20. *Noluit Deus quemquam in bellum proficiſci, qui vineam plantaſſet, & fructum illius non comedisſet.* Singulari igitur hac dilectione amabat Deus Synagogã vineam

Pſal. 75.
Deut. 20.

ſuam

suam:at vinea crudelis pro frondibus dedit spinas,quibus hæres vineæ fuit dirè coronatus, & pro fructu,ac cibo dedit illi vuas fellis, & in siti potauit eum aceto. Qua propter iure optimo vindemiauit Dominus vineam suam electam, tradens eam deripiendam, & conculcandam Chaldæis, ita vt maceries destrueretur, turris combureretur,& cùm antea esset vinea electa, facta est postea habitaculum draconum. Cùm ergo talem se videat Synagoga, sumpta metaphora vineæ vindemiatæ, exclamat: Ego vinea Domini Sabaoth deserta, & desolata,abstulit Dominus à me velut racemos, filios meos peste, fame, & bello; Cogor denique in Babylonem transplantari.

Plantauerat Deus in cœlo vineam sine vllo labore,cuius quidem vites sunt angelici spiritus, ex quibus quotidie vberrimos colligit fructus amoris, & obsequiorum. Plantauit & aliã syluestrem vineam in mundo,summo cum labore; fatigatus est enim in opere cum sudore sanguinis,volens,vt in mensa sua fructus quoque acetosi apponerentur,vt pote lacrymæ,gemitus,ieiunia, & eleemosynæ, quibus fructibus Deus maximè delectatur: at cùm expectaret, vt hæc vinea faceret vuas, loco illarum fecit labruscas Isaiæ cap. 5. Multi enim sunt homines,qui post multos annos ne vnum botrum protulerũt, sed innumera peccata,quibus iure dicere possumus: hæccine reddis Domino popule stulte, & insipiens, vna fellis,& botri amarissimi,fel draconũ vinum tuum, & venenum aspidum insanabile; verè vinea aliena es,vinea praua,& conuersa in

Isai. 5.

amari

amaritudinem. Meritò ô anima peccatrix tu quoque vindemiaris à Domino, meritò à transeuntibus hostibus conculcaris, & virtutibus spoliata relinqueris, vt vmbraculum in vineis, vel tugurium in cucumerario in domicilium ferarum & struthionum, quemadmodum locutus est de te Dominus, per prophetas suos accensus ira, & furore.

Mem.] *De excelso misit ignē in ossibus meis, & erudiuit me: expandit rete pedibus meis, & conuertit me retrorsum: posuit me desolatam tota die mærore confectam.*

SYNAGOGA posita in via prosequitur argumentum doloris, & calamitatis suæ his verbis, quasi dicat: Misit Dominus ignem deuorantem in templum, & mœnia, quæ sunt veluti ossa ciuitatis meæ. Atque ita paraphrasis Chaldaica habet: *De excelsis misit ignem in castella mea fortiora, & subegit illa.* Pagninus legit: *Et dominatus est ipse ignis.* Brixianus verò, *& sæuit in ea.* In Hebræo pro: *erudiuit*: est verbum, רדה *Radhah*; quod significat *dominari*; vt sensus sit: *Ignis dominatus est*, significat etiam conterere, & erudire. Atque in hoc sensu inquit: Conterens igne tribulationis, & laborum, omnia ossa mea, erudiuit me. *Pagninus. Brixianus.*

Si autem consideremus energiam verbi *Erudiuit,*

diuit, vtitur propheta metaphora magistri castigantis, seu per flagella discipulum erudientis. Quasi dicat: De cælo, id est, de supremo consistorio per irrefragabilem sententiam misit ignẽ medullitus in ossibus meis, vt me combureret, & supplicio hoc veluti indomitum discipulum

Ierem. 31. exudiret. Huic expositioni consonat illud Ieremiæ 31. *Castigasti me Domine, & eruditus sum*

Isai. 28. *quasi iuuenculus indomitus.* Nãque, vt inquit Isai.

Psalm. 82. cap. 28. *Sola vexatio dat intellectum.* Et ideo Dauid Psalm. 82. dicebat: *Imples faciem eorum ignominia*, quod Lusitanè dicimus *Derãlhe scus peccados de rosto & quærent nomen tuum.* Iam autem per ignẽ significari in Scriptura, tribulationes, clarum est.

Psalm. 16. Psalm. 16. *Igne me examinasti, & non est inuenta*

Psalm. 65. *in me iniquitas.* Et Psalm. 65. *Transiuimus per ignẽ,*

Oseæ 8. *& aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Oseæ 8.

Nahum 3. *Mittam ignem in ciuitates eius.* Nahum 3. *Comedet te ignis.* Amos 1. *Mittam ignem in domum Asael.*

Amos 1.

Figuerius. Figuerius per *ignem* intelligit hostem validissimum, qui omnes ciuitates munitas solo æquauit; per *ossa* verò intelligit consilia, & fœdera cum alienigenis; insuper milites, & consiliarios; ac denique omnes opes quas Nabuchodonosor, abstulit.

Expandit rete pedibus meis.] Id est, exercitum tã Chaldæorum quàm Romanorũ, qui vndique diffusos cingebat miseros Iudæos, mortem fugientes, &, veluti aues, pedibus irretitos capiebat, & interficiebat. Videmus enim Ieremiæ

Ierem. 39. cap. 39. quòd cũ Sedechias Rex Iuda, & omnes viri bellatores fugissent cum eo de ciuitate per viam horti Regis, nocte ab exercitu Chaldæorum,

rum capti sunt, quasi irretiti in campo solitudinis Ierecuntinæ, & cùm Nabuchodonosor omnes filios Sedechiæ, & omnes nobiles Iudæ in oculis eius occidisset, postremùm oculos Sedechiæ eruit, & vinxit eum compedibus, vt duceretur in Babylonem. Hoc ipsum prædixerat Ezechiel 12. *Extendam rete meum super eum, & capietur in sagena mea, & educam eum in Babylonem.* Ezechiel 12.

Potest & alio modo ita hic locus explicari: Cùm ego ruerem in scelera, ligauit me Dominus laqueo calamitatis, ne vlteriùs progrederer, sed ad me ipsam redirem. Nam *vexatio dat intellectum,* & dum quis configitur spina, faciliùs ad cor redit. Vnde Oseæ 2. Deus Synagogæ ait; *Sepiam viam tuam spinis,* id est, tribulationibus. Osea 2. Atque ideò in nostro textu statim sequitur: *Conuertit me retrorsum*] id est, non in meliorem frugem, vt aliqui volunt. Nam cùm iam superiùs resolutum habeamus, conuersionem retrorsum sumi in malam partem, potiùs intelligerem hoc modo: *Conuertit me retrorsum,* hoc est, impulit me in manus hostium, cùm conuersa retrorsum, illísque terga dans capta fui.

Posuit me desolatam.] hoc est, funditus euersam posuit me in solitudinem, & habitaculum ferarum, (cùm antea essem ciuitas plena populo,) & tota die mærore confectam, absque vlla consolationis spe, quæ tristibus solatium esse solet.

Mysticè, inquit D. Hieronymus, anima peccatis obnoxia, dum pro iniquitatibus suis à Domino corripitur, si introrsum rediens salubri D. Hieron. dolore

dolore compungitur, abstinendo se à peccatis, omnem luxum pristinum in lacrymas vertit; & tantò fortiùs constringendo seipsam plangit, quantò laxiùs per varia desideria se diutiùs errasse recolit.

Allegoricè quoque Glossa intelligit hunc locũ de Iudęis, qui crediderunt, & cũ gentibus intra vnum Ecclesiæ ouile sunt congregati, hi merito dicunt: de excelso misit ignem Spiritus sancti, quo corroborantur virtutes, & eruditur diuinitus Ecclesia, ne vlteriùs idolis seruiat, vel mundi delicias quærat: hic enim ignis de excelso missus pectora suorum ignit, & sursum leuat, vt non iam terrena sapiant. Vt enim ignis præaltas rupes frangit, & durissima saxa exurit, ita ignis Spiritus sancti duritiem cordis emollit, ac frangit, & à fæcibus totam animam expurgat. Expandit autem rete prædicationum, ne abeant post concupiscentias & vanitates errorum, conuertítque retrorsum, vt qui Deum pennigero volatu fugiebant; ad Deum iterum conuertantur, ab omni via mala, cum Psalmista Psalm. 118. prohibentes pedem suum, atque adeo desolati præsentibus bonis, toto vitæ tempore conficiantur dolore præsentium tribulationum, & amore futurorum bonorum.

Psalm. 118.

Num.] *Vigilauit iugum iniquitatum mearum: in manu eius conuolutæ sunt, & impositæ collo meo; infirma-*

ta

ta est virtus mea: dedit me Dominus in manum, de qua non potero resurgere.

SENSVS literalis huius loci iuxta Paschasium, D. Hieronymum, & alios antiquiores, ita habet: *Iugum*, id est, debitum supplicium iniquitatum mearum, quod in me dormire, & nequitiæ torpore securè quiescere videbatur, in manu Domini ad mei vindictam vigilauit. Nobis enim torpentibus peccata latent, sed in manu Domini vigilant, dum nos ad vindictam iustæ retributionis accusant. Vnde Genes. 4. vox sanguinis Abel dicebatur clamare de terra ad Dominum contra Cain. Et Ierem. cap. 1. *Iuxta ollam succensam virgam vigilantem vidit*, & vocem Domini audiuit dicentis: *Vigilabo ego super verbum meum, vt faciam illud.* Vigilat autem Dominus *iuxta ollam succensam*, quasi nos gehenna comminans. Alij autem legunt: *Virgam florentem ego video.* Scio allegoricè per hoc demonstrari, quòd tunc iudicantium virga florescit, quando vigilat, & ideo est iuxta ignem, vt ostendatur, quòd si virga iustitiæ & vigilantiæ non floruerit, illo igne comburetur. Sed ego vlteriùs ideo virgam Domini vigilantem floridam esse credo, vt intelligatur, quòd Deus floridè & benignè virga iustitiæ suæ vigilantis percutit, cum etiam in olla & gehenna citra cōdignū puniat: Per ollā succensā accipitur quoq; certa, & infallibilis notitia, quam Deus habet peccatorum. Quemadmodum enim ea quæ sunt

Paschas. *D. Hieron.* *Gen. 4.* *Ierem. cap. 1.*

ſunt iuxta ignem accenſum, occultari nequeũt: ita peccata noſtra in conſpectu altiſſimi abſ-
Sophoniæ 1. condi non poſſunt, quod ſatis innuitur Sophoniæ 1. *Scrutabor Ieruſalem in lucernis.*

Conuoluta ſunt, & impoſita collo meo.] Iniquitates, quarum iugum vigilauerat in manu Domini, complicatæ, & contortæ, impoſitæ ſunt collo meo, ſicut torques indicans iniquitates meas, vel ſicut prædæ, quæ ad colla latronum ignominiæ cauſa ligari ſolent. Sunt implicatæ velut
Prouerb. 5. funes, de quibus Prouerb. 5. dicitur: *Funibus peccatorum quiſque conſtringitur.* His ego funibus iniquitatum ad collum ligatis, velut criminoſus reus per vias publicas ad patibulum duce-
Paraphraſt. bar. Paraphraſtes habet *Complicati ſunt*, vt rami, ſeu vites, Hebræi legunt: *Aſcenderunt ſuper ceruicem meam.* Figuerius addit; *Sicut malæ plantæ excreſcũt ſuper bonas, & eas ſuffocant, ſic iniquitates meæ*
Figuerius. *tranſierunt, & excreuerunt ſuper caput meum.*

Infirmata eſt virtus mea.] Cùm iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, fortitudo mea fracta ac debilitata eſt, ipſóque pondere ruit. Qua phraſi vtitur etiam Dauid, Pſalm. 30. *Infirmata eſt in paupertate virtus mea*, id eſt, in mi-
Pſalm. 30. ſeria, & calamitate debilitata eſt virtus mea.

Dedit me Dominus in manum, de qua non potero reſurgere.] Hæc verba potiſſimùm ſpectant ad vltimam captiuitatem Iudæorum per Romanos factam quæ ſempiterna erit. Nec enim vnquam Iudæi ad priſtinum ſtatum recuperandum poterunt reſurgere, licèt per pœnitentiam ad felicioris vitæ ſtatum, regnúmque cæleſte, cóſortes ſanctorũ, & cohæredes Chriſti poſſint aſcẽdere.

In

In sensu autē spirituali, vt notauit D. Hieronymus, indicat hic locus, quòd extrema vltio omnibus impiis & peccatoribus infinitæ calamitatis sit, cùm nunquam cruciandi molestia cesset, quia in exterioribus tenebris vermis impiorum non moritur,& ignis non extinguitur. *D. Hieron.*

Samech.] *Abstulit omnes magnificos meos Dominus de medio mei: vocauit aduersum me tempus, vt contereret electos meos: torcular calcauit Dominus Virgini filiæ Iuda.*

ADHVC persistit Ierusalem in exponenda sua calamitate, quasi dicat: Abstulit Dominus magnificos peste,fame, & bello; magnificos,inquam, ex quibus tota mea virtus pendebat,vtpote sacerdotes,senes, equites, ac milites. Ita prædixerat Isaias cap. 3. *Auferam à Ierusalem validum, & fortem, & omne robur panis, & omne robur aquæ, principem & quinquagenarium, ac prudentem.* *Isai. 3.*

Vocauit aduersum me tempus.] hoc est, induxit contra me tempus vltionis; vel tempus, quod præ patientia Domini quodammodo dormire videbatur, accelerauit, vel excitauit contra me. Iure namque vocauit aduersus Iudæos, & aliquando contra nos vocat tempus,quoniam cùm illud sit datum ad laborandum in Dei vinea,homines non solùm id non præstant, sed eo insuper abutentes,dissipant legem Domini, iuxta il-

Psalm.118. lud Psalm.118. *Tempus faciendi Domine: dissipauerunt legem tuam.* Tempus ergo suum Deus aliquando sibi reassumit ad faciendam vindictam in nationibus; sic enim per Psalmistam inquit *Psalm.74.* Psalm.74. *Cùm accepero tempus, ego iustitiam indicabo.* ô quam tremendo iudicio exigenda est ratio deperditi temporis: tunc desiderabunt peccatores illud ad pœnitentiam recuperare, & non *Luca 17.* poterunt. Habetur enim Lucæ 17. *Venient dies, quando desideretis videre vnum diem filij hominis, D. Greg. & non videbitis.* D. Gregorius narrat, quemdam hominem hora mortis clamasse; inducias vsque manè Domine, nec tamen illi concessas fuisse. *Apoc.10.* Sic in vltima mundi calamitate Apoc. 10. Iurat Angelus per viuentem in secula seculorum; *quòd iam non erit tempus.* Quæ cùm ita sint, secuti con- *Pauli 6. ad Galat. Et ad Coloss.4.* silium D. Pauli ad Galatas 6. *Operemur bonum, dum lucem habemus,* Et Coloss.4. *Redimamus tempus, quoniam dies mali sunt.*

Torcular calcauit Dominus Virgini filiæ Iuda.] Superiùs comparauerat Ierusalem desolationem suam vindemiæ, quoniam scilicet abstulit Deus omnes electos eius: nunc comparat mortes eorundem calcationi in torculari factæ. Calcatio autem vuarum in torculari pœnam significat, & vltionem, qua Deus malos premit, quemad- *Isai.63.* modum vuæ prelo premuntur. Sic Isaiæ cap.63. *Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum. Calcaui eos in furore meo, & aspersus est sanguis *Apoc.14.* eorum super vestimenta mea.* Et Apoc. 14. dicitur Angelo: *Vindemia botros vineæ terræ, quoniam maturæ sunt vuæ eius: & misit Angelus falcem suam acutam in terram, & vindemiauit vineam terræ, & misit*

in lacum iræ Dei magnum,& calcatus est lacus extra ciuitatem, & exiuit sanguis de lacu vsque ad frenos equorū per stadia mille sexcenta. Et de eodem iudicio Apoc.cap.19.habetur. *Et ipse reget eos in virga ferrea, & calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis.* Per *lacum* autem *magnum* intelligit fortasse D. Ioannes infernum, vbi impij pedibus dæmonum sunt conculcandi; *sanguinem* autem vocat mustum ex vuis expressum, quia simile est sanguini, iuxta illud Deuter. 32. *Et sanguinem vuæ biberent meracissimum:* Et Geneseos 49. *Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum.* *Apoc.19.* Deut.32. *Genes.49.*

Virginem autem appellat Ierusalem, more Scripturæ, appellantis quamlibet *rempublicam, virginem,* quæ si est respublica bona, filia sapiens, & virgo prudens appellatur; si autem mala, inter insipientes filias, & imprudentes virgines numeratur. Vel dicitur virgo, quia scilicet existimabat illa se non fuisse fornicatam cum Diis alienis, sed vnum Deum perpetuò coluisse. Virgo etiam vocatur, quia ante illam desolationem intacta erat; nec à gentibus illucvsque fuerat contaminata ac profanata.

Paschasius aliter hunc locum interpretatur, dicens, hoc torcular calcasse Dominum in passione sua virgini filiæ Iuda, vt credentibus præmia, incredulis verò, & crucifigentibus, perpetuæ captiuitatis, & æternæ damnationis supplicia effunderet. Propheta ergo videns duritiem Iudæorum, deplorat, quòd frustra calcauerit Dominus torcular filiæ Iuda. Quod enim Dominus patiebatur ad illius remedium, conuertit *Paschasius.*

G 2 sibi

ſibi Synagoga in tormentum perpetuæ damnationis. Vnde propheta ipſius Synagogæ plorantis, ſequentibus verbis, inducit perſonam.

Ain.] *Idcirco ego plorans, & oculus meus deducens aquas: quia longè factus eſt à me conſolator, conuertẽs animam meam: facti ſunt filij mei perditi: quoniam inualuit inimicus.*

REDDIT cauſam doloris, ac lamentationis ſuæ, nimirum abſentiam conſolatoris, per quem Diuus Thomas ad literam intelligit Regem Ægypti, in quo Iudæi habebant ſpem auxilij. Paſchaſius autem, & Dionyſius intelligũt Deum optimum maximũ, qui per antonomaſiam conſolator appellatur. Quod magis innuunt verba ſequentia: *Conuertens animam meam:* ſolius enim Dei proprium eſt animas mouere, & conuertere. Vnde D. Hieronymus inquit:

D. Thom. *Paſchaſius, & Dionyſius* *D. Hieron.*

„ Fletus ingens animæ hîc deſcribitur, quia poſt
„ vanam lætitiam omnis conſolatio præſentis vi-
„ tæ illi aufertur; fructus malorum operum diſſi-
„ patur, & ſolus inimicus inter tormenta varia
„ illius nominatur.

Phe.] *Expandit Sion manus ſuas: non eſt qui conſoletur eam; mandauit*

Domi

Dominus aduersus Iacob in circuitu eius hostes eius: facta est Ierusalem quasi polluta menstruis inter eos.

REPRÆSENTAT nunc propheta habitũ Ierusalem, instar mulieris in summa angustia & dolore positæ: solent enim illæ manus expandere: nunc in cœlum tollere, nunc ad pectus deprimere; nunc verò pugnis & vnguibus vultum, & capillos dilacerare. Sic videmus 2. Regum cap. 13. quòd Thamar oppressa à fratre exiuit impositis manibus supra caput. Paschasius inquit: Sicut expandit natans ad natandum manus suas; sic & Sion inter angustias: Nam angustia cordis in expansione manuum exprimitur plùs quàm in exclamatione. Comparat etiam idem Paschasius dolorem Ierusalem, angustiæ mulieris parturientis, quæ ad exprimendum, vel expellendum dolorem solet manus expandere. Lyra inquit, quòd expandit Ierusalem manus omni transeunti, quærens ab eo suffragium. Per extensionem quoque manuum affectum orantis, & auxilium è cœlo postulantis possumus intelligere: nam Isaiæ c. 1. Iudæis obsecrantibus in peccato, dictum est: *Cùm extenderitis manus vestras, auertam oculos à vobis, & cùm multiplicaueritis orationẽ, non exaudiam; manus enim vestræ sanguine pollutæ sunt.* Et Exod. 17. Cùm Moyses manus extendebat ad Deum in monte, populus vincebat, quoniam scilicet illius oratione Dominus placabatur.

2. Reg. ca. 13. *Paschasius.* *Lyra.* *Isai. 1.* *Exod. 17.*

Mandauit Dominus aduersus Iacob hostes in circuitu eius.] Loquitur de Ammonitis & Moabitis infestissimis hostibus Ierusalem, simul & de aliquibus populis conuicinis, qui violato fœdere amicitiæ venerunt contra Ierusalem in auxilium Chaldæorum.

Facta est Ierusalem quasi polluta menstruis inter eos.]Menstrua est fœditas, cùm per singulos mẽses grauia atque torpentia mulierum corpora „ immundi sanguinis effusione releuantur, quo tempore, inquit Diuus Hieronymus, si vir co- » ierit cum muliere, dicuntur concepti fœtus vi- » tium seminis trahere, ita vt leprosi & Elephan- » tiaci ex hac conceptione nascantur, & fœda in » vtroque sexu corpora, paruitate, vel enormitate » membrorum sanies corrupta generet. Polluta igitur Ierusalem dicitur mẽstrua fœditate, quia sanguinolenta opera, & carnalia desideria voluit vitare in praua conuersatione. Dicitur etiã menstruata, id est, abominabilis vbique hostibus, vt explicant Lyra, & Paschasius. Polluta etiã menstruis, quia Ægyptij amatores quondam ipsius nunc fœditatem abhorrẽtes eam reliquerunt. Denique polluta sanguine menstruo, vt aliqui volunt, quia hostes eam sanguine & cædibus polluerunt.

D. Hieron.

Lyra. & Paschasius.

Zade.] *Iustus est Dominus, quia os eius ad iracundiam prouocaui. Audite, obsecro, vniuersi populi, & videte dolorem meum: virgines*

mea,

meæ, & iuuenes mei abierunt in captiuitatem.

POSTQVAM lamẽtationis calumniam annumerauit, meritò nunc se illam pati commemorat, quia iustus iudex non aliam potest ferre, quàm iustam sententiam. Namque *cùm vexatio det intellectum*, qui vexatur, se ob culpam intelligit iusto Dei iudicio puniri. Sic Dauid Psalm. 118. *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Sic Daniel cap. 9. *Iustus Dominus Deus noster in omnibus operibus suis, quæ facit.* Iob cap. 4. *Recordare*, inquit, *obsecro te, quis vnquam innocens periit? Aut quando recti deleti sunt? Quin potiùs vidi; eos, qui operantur iniquitatem, & seminant dolores, & metunt eos, flante Deo periisse, & Spiritu iræ eius esse consumptos.*

Psalm.
Daniel 9.
Iob. 4.

Verba autem sequentia: *Quia os eius ad iracundiam prouocaui:*] multis modis intelligi possunt. Diuus Hieronymus ita explicat: Quia iustum iudicem, & natura clementem meis prauis meritis compuli contra me ferre sententiam. Paraphrastes verò habet: *Quia sermonem eius transgressa sum.* Theodoretus ita: *Quia latas ab eo leges transgressa sum.* Potest sumi *os Domini* hoc loco pro propheta. Iosuë cap. 9. *Os Domini non interrogauerunt*, id est, prophetas Domini. Et Isaias cap. 30. *Os meum non interrogatis.* Iuxta hunc dicendi modum tunc os Domini ad iracundiam prouocauit Ierusalem, quando prophetam sanctum Ieremiam contempsit, imò & contumeliis affecit. D. Augustinus, cui libenter

D. Hieron.
Paraphrast.
Theodoretus.
Iosue 9.
Isaias 30.
D. August.

adhæreo, per os Domini intelligit Verbum æternum, quod Ecclesiastici 24. inquit se ex ore altissimi prodisse. Hoc VERBVM CARNEM FACTVM Iudæi interfecerunt, proindéque iram patris ad iustissimam vindictam excitarunt.

Eccles.24.

Attendite vniuersi populi dolorem meum.] Superiùs vocauerat Ierusalem transeuntes per viã quasi pauciores: nunc verò omnes populos ad considerandum dolorem suum maximè inuitat: superiùs virgines squalidas, & paruulos captiuos lugebat; nunc verò etiam robustiores iuuenes, ac virgines captiuas deplorat. *Quantum enim malum*, inquit Paschasius, *cumulatur, tantum luctus multiplicatur*. Enimuerò commiseratione dignissimum spectaculum erat, teneram ætatem, & infirmum sexum, cogi captiuitatis iniurias sustinere, laboréque tolerare. Diuus Hieronymus inquit, quòd in eo, quòd Ierusalem deplorat virgines, & iuuenes abiisse in captiuitatem, ostendit se maximè dolore, spem sui status penitus corruisse. Quando enim sobolem suam subitò interire conspexit, spem futuræ generationis amisit.

Paschasius.

D.Hieron.

Coph.] *Vocaui amicos meos, ipsi deceperunt me; sacerdotes mei, & senes mei in vrbe consumpti sunt: quia quæsierunt cibum sibi, vt refocillarent animam suam.*

IAM intelligit Ierusalem, solo in Deo esse firmam ac solidam spem nostram. Namque, vt inquit

inquit idem Ieremias, cap. 17. *Maledictus homo, qui confidit in homine.* Et Dauid Psalm. 133. monet, *ne confidamus in principibus, quia sunt filij hominum, in quibus non est salus.* Et Isaiæ cap. 36. dicebant Ezechiæ legati Regis Assyriorum: *Quæ est ista fiducia, qua confidis? Aut, quo consiliò, aut fortitudine rebellare disponis? Super quem habes fiduciam, qua recessisti à me? Ecce confidis super baculum arundineum confractum istum super Ægyptum, cui, si innixus fuerit homo, intrabit in manum eius, & perforabit eam.* Ex quibus verbis satis colligitur, quantam fiduciam populus Israël habuerit in Ægyptiis, siquidem eos vocat amicos suos. Insuper, & quàm infirmum sit adiutorium hominum, quando quidem comparatur baculo arundineo, qui non solùm non adiuuat, verùm etiam manum perforat ac vulnerat. Diuus Hieronymus inquit, quòd Ægyptij appellantur hîc per antiphrasin amici, quasi inimici, & deceptores; quemadmodum prælium vocatur *bellum*; & quemadmodum Virgilius *auri sacram famem* sæpe appellat. Sit ergo semper adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram. Ille enim est Deus noster, refugium, & virtus; adiutor in tribulationibus, quæ inueniunt nos nimis.

Ierem. 17. *Psalm.* 133. *Isai.* 36. *D. Hieron.*

Sacerdotes mei, & senes mei.] Sacerdotes, quibus vel olim in Ægypto Geneseos 47. tempore famis Pharao alimenta ministrauit, deficientibus tunc victimis & oblationibus: item senes, per quos intelligit Lyra iudices & magistratus reipublicæ, qui semper abundare solent alimoniis;

Genes. 47.

niis; hi omnes quærebant cibum; non iam ad sustentandam vitam, sed saltem ad reuocandum spiritum fame pene consumptum, nec inueniebant. Et meritò sacerdotes in vrbe fame cõsumpti sunt, quia cùm cibum spiritualem aliis procurare debuissent ex officio, solùm sibi quærebant panem.

Res.] *Vide Domine, quoniam tribulor; conturbatus est venter meus; subuersum est cor meum in memetipsa: quoniam amaritudine plena sum: foris interfecit gladius, & domi mors similis est.*

EFFECTVS agnoscitur mulieris positæ in tribulatione: nunc refert calamitates: nunc auxilium petit à Domino: iterum eam repetit, vt dum alternat labores, aliqua consolatione leuetur. [*Vide domine, inquit, quoniam tribulor.*] vndequaque laboribus circumsepta; conturbatus est venter meus, vt explicat Lyra, ex redundantia doloris mentis ad corpus. Atque ita Paschasius exponit: *Conturbatus est venter meus*: quasi parturiẽtis: sicut enim proles in vtero cõcipitur, ita & cogitatio in mente; & vt proles exitura in lucem viscera matris cruciat, ita cogitatio tristis mentem dilacerat. In cuius rei confirmationem quadrat optimè ille versiculus Ouidij 5. de Tristibus.

Lyra. *Paschasius.*

Strangulat inclusus dolor, atque exæstuat intus.

Rab. Salomò. Rabbi Salomô sic explicat: *Viscera mea constringuntur*. *Paraphrast.* Paraphrastes: *exæstuant, conglobantur, calefacta*

lefacta sunt, & cumulantur. Per hæc autem verba vult propheta explicare summum dolorem, quo cruciabatur. Nam omnia viscera dolebant: viscerum autem dolor omnium maximus esse solet.

Ego verò existimo non esse abs re, si per cor in medio Ierusalē subuersum intelligimus VERBVM ÆTERNVM CARNEM FACTVM in perfida ciuitate pedibus conculcatum, crucique affixum. Nam quòd filius Dei in Scriptura sacra *cor* appelletur, aliquibus locis probari potest. Etenim vbi c. 4. Canticorum habet nostra vulgaris editio: *Vulnerasti cor meum sponsa*; habet alia editio: *Vulnerasti cor nostrum*. Quasi hæc verba sint totius Trinitatis ad sponsam filij, sensusque sit: O spōsa charissima vulnerasti VERBVM ÆTERNVM, quod est cor nostrum. Et ideo dicit: *cor* in singulari, ad significandam vnitatē essentiæ, & nostrum in plurali; vt exprimatur pluralitas personarum. Appellatur autem *cor*, vt ostēdatur infinitus amor, quo à PATRE, ET SPIRITV SANCTO FILIVS diligitur. Rem enim, quā amamus, cor appellare solemus. Item quoniā, vt cor in medio corporis, ita filius in medio Trinitatis consistit. Et c. 4. Canticorū, inquit; sponsa: *Ego dormio, & cor meum vigilat*, id est, Christus Dominus, qui est cor Ecclesiæ, & qui in salute ipsius plurimùm vigilat, & insudat. Et fortè per cor intellexit etiā Moyses VERBVM ÆTERNVM, quando inquit; quòd Deum tactum dolore cordis intrinsecus pœnituit fecisse hominem, intelligens per dolores cordis; illos, quos filiu Dei pro salute generis humani erat passurus præsuppo

Canticor. 4.

Gen. 6.

præſuppoſito rigore diuinæ iuſtitiæ, cui ille ſatisfacturum ſe decreuerat. Nã vbi in mundo fabricatum eſt peccatum, ſtatim cor Domini indoluit. Cùmergoper cor VERBVM IN CARNE intelligatur, non abs re poterit Ieruſalem plena amaritudine lugere cor ſuum, hoc eſt, Chriſtum Dominum ſibi datum, ſibíque natum, diris tormentis in medio ſui pene ſubmerſum fuiſſe.

Foris interficit gladius.] ſcilicet perſecutorum tempore obſidionis, quo interficiebantur omnes qui extra ciuitatem inueniebantur, & domi, intra ciuitatem ſcilicet, mors ſimilis eſt; quoniam aliqui moriebantur fame, alij peſte, alij gladio militum, & latronum, alij lapidibus proiectis per machinas ab extra. Similem querimoniam habebat D. Paulus 2. Corinth. cap. 7. *Cùm veniſſemus,* inquit, *Macedoniam, nullam requiem habuit caro noſtra, foris pugnæ intus timores.* 2. *Corinth.* 7.

Fidelis quoque anima in ſenſu ſpirituali; inquit D. Hieronymus, tentationibus variis fatigata meritò ſe intus foríſque morte ſimili attritam deplorat, quia foris perſecutionibus, & intus anguſtiis lacerari ſe non ignorat; ſæpe enim foris flagellis atteritur, & intus carnali ſuggeſtione fatigatur. D. *Hieron.*

Sin.] *Audierunt, quia ingemiſco ego, & non eſt, qui conſoletur me: omnes inimici mei audierũt malũ meũ, lætati ſunt, quoniã tu feciſti: adduxiſti diẽ conſolationis, & fient ſimiles mei.*

IN

IN lamentando ea repeti solent, quæ maximè cruciant, vnde mirum non est; si Ierusalem toties lamentetur se desertam ab amicis, in quibus habebat fiduciam. Audiebant illi quippe gemitum, & clamorem miseræ ciuitatis, & ad pietatem, & misericordiam non commouebantur. Insuper grauissimè dolet Ierusalem, quòd de sua miseria hostes triumphent. Sic & Dauid plangens mortem Saulis cap. 1. 2. Regum ait: *Nolite annunciare in Geth, neq annuncietis in compitis Ascalonis, ne fortè lætentur filiæ Philistim, ne exultent filiæ incircumcisorum.* Et Psal. 70. maximè cruciabatur idem propheta, dicens: *Qui custodiebant animam meam,* id est, qui insidiabantur animæ meæ, *consilium fecerunt in vnum, dicentes: Deus dereliquit eum, persequimini, & comprehendite eum, quia non est, qui eripiat.*

2. Reg. cap. 1.

Psalm. 70.

Quoniam tu fecisti, hoc est, quoniam ex te, à quo procedunt omnes actiones, auctore, & permittente hæc ærumna processit.

Adduxisti diem consolationis.] Communiter explicari solet hic locus de consolatione, quam habuerunt Iudæi, quando primo anno, quo regnauit Cyrus, illis concessit facultatem redeundi in patriam: ita quòd loquatur propheta de futuro per modum præteriti propter certitudinem prophetiæ. Sed ego existimo quoque Synagogam velut pœnitentem, ac compunctam, se ipsam consolari tribulationibus de manu Domini prouenientibus. Sic 2. Regum cap. 12. cùm Dauid audisset mortuum esse infantem, quem ex Bersabeth conceperat, surrexit à terra, & lotus, vnctúsque est, atque mutata veste venit in domum

2. Reg. ca. 12.

domum Domini, velut gratias agens pro dolore filij, cuius morte castigabatur: iustus enim lætatur Psalm. 57. *Cùm videt vindictam peccatorum.*

Psalm. 57.

Et fient similes mei.] Superiùs interrogabat Ierusalem viatores, an possit inueniri aliquis dolor, sicut dolor ipsius? Modò iam consolatur sperans, quòd Deus iustus iudex adducat retributionem Chaldæis malorum, quæ miseræ ciuitati inflixerunt, & quòd tandem in dolore similes fiant sibi.

Thau.] *Ingrediatur omne malum eorum coram te: & vindemia eos, sicut vindemiasti me propter omnes iniquitates meas; multi enim gemitus mei, & cor meum mærens.*

POSTQVAM Ierusalem calamitatem suam deplorauit, more mulieris furore & dolore excandescentis, vocat hostes suos in iudicium magni Dei, vt cum illa simul ad tribunal iudicis stent reddituri de facto rationem, quòd Lusitanè dicimus: *Emprazos nos peradiante de Deos.* Atque ita Paraphrastes habet: *Veniat in diem iudicij magni omne malum eorum, quod fecerunt mihi in conspectu tuo.*

Paraphrast.

Controuerti autem solet hîc, an licitum sit contra hostes aliquid mali precari. Vidimus enim Apoc. 6. quòd sancti in cælo perpetuò clamant: *Vsque quò Domine sanctus, & verus non iudicas*

Apoc. 6.

dicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in terra? Et Dauid loquens aduersus impium, ita habet: *Episcopatum eius accipiat alter.* Et infrà: *In memoriam redeat iniquitas patrum suorum, peccatum matris eius non deleatur, sint contra Dominum semper, & dispereat de terra memoria eorum.* Et iterum: *Conuertantur peccatores in infernum.*

Huic quæstioni respondere possumus. Primò, cum D. Hieronymo, quò quando sancti viri deprecario more contra hostes suos rogant, non voto malitiæ, sed spiritu prophetiæ, hoc, quod eis præsciunt futurū, prædicunt; vel contra spirituales nequitias orant, quas sciunt esse incorrigibiles, vt iustam à Deo recipiant sententiam. Et quidem de verbis Dauid, nulla est dubitatio. Nam D. Petrus Actorum 1. de Iuda proditore interpretatur; agens enim de successore ait: *Oportet impleri scripturam, quam prædixit Spiritus sanctus per os Dauid de Iuda.* Secundò, respondetur cum D. Thoma 2. 2. quæst. 25. art. 6. ad tertium, tripliciter huiusmodi increpationes, quæ in Scriptura reperiuntur, posse considerari. Vno modo per modum pronuntiationis, non per modum optationis, vt sit sensus: Conuertantur peccatores in infernum, id est, conuertentur; qui modus coincidit cum expositione D. Hieronymi. Alio modo per modum optationis, vt desiderium optantis non referatur ad pœnam hominis, sed ad iustitiam punientis, iuxta illud Psalmi 57. *Lætabitur iustus, cùm viderit vindictam; quoniam neque ipse Deus puniens lætatur in perditione impiorum, sed in sua iustitia, quoniam iustus Dominus, & iustitiam dilexit.* Tertio modo, vt deside-

D. Hieron.

D. Petrus.


D. Thom.

Psalm. 57.

desiderium referatur ad remotionem culpæ, non verò ad ipsam pœnam, vt scilicet peccata destruantur, & homines remaneant salui. Etenim, licèt Deus odio habeat peccatum, diligit tamen peccatorem. Atque ita, si verba huius loci nomine prophetæ Ieremiæ accipiantur, iuxta præfatos D. Hieronymi, & D. Thomæ explicandi modos sunt intelligenda. Sed ego reor, atque opinor etiam affectum mulieris impatientis, qualis semper fuit Synagoga, hîc exprmi; vt saltem diris imprecationibus iratum cor satiet.

Et vindemia eos.] destruendo scilicet muros, & munitiones eorum, bona rapiendo, ac denique quasi in vindemia spoliando diuitiis, nudámque ac sine vllo racemo relinquendo superbam Babylonem, non aliter, quàm crudelissimi Chaldæi absque pietate & misericordia me reliquerunt. Mala quippe omnia, quæ Ierusalem hîc precatur Babyloniæ, illi postea venerunt tempore Balthasaris, Danielis cap. 5. *Daniel. 5.* Tunc enim cecidit superba Babylon oppugnata, & potiùs expugnata à Persis & Medis, Rex interfectus, ciues truncati, ac denique ipsa oppressa eâdem, qua nunc Ierusalem, amaritudine. Isaiæ namque 13. habetur: *Isai. 13.* *Ecce ego suscitabo super eos, Medos, qui argentum non quærent, nec aurum velint; sed sagittis paruulos interficiant, & lactentibus vteri non miserebuntur.* Et infrà: *Non habitabitur vsque in finem, & non fundabitur vsque in generationem, & generationem.*

CAPVT



CAPVT SECVNDVM.

Aleph.] *Quomodo obtexit caligine in furore suo Dominus filiam Sion: proiecit de cœlo in terram inclytam Israel: & non est recordatus scabellum pedum suorũ in die furoris sui.*



CVM sancti prophetæ incredibili charitatis affectu causas omniũ suas faciant; & lacrymis propriis alienos risus abluant, mirum non est, si toties Ieremias ponat lacrymabile exordium doloris, admirationis, atq; stuporis plenũ. *Quomodo, &c.*

Tribus autem modis caligo in Scriptura sacra vsurpari solet. Primo, pro ignorantia, iuxta illud Ecclesiastici 2. *Stultus in tenebris ambulat.* Et Psalm. 81. *Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant.* Et Isai. cap. 60. *Ecce tenebræ operient terram, & caligo populos.* Secundo modo sumitur pro tristitia & amaritudine. Iob cap. 3. *Occupet eum caligo; & inuoluatur amaritudine.* Et 17. *Post tenebras* (scilicet tristitiæ) *spero lucem:* consolationis. Tertio denique modo sumitur caligo pro fauore, vel amore, quo Deus rem aliquam pro-

Ecclesiast. 2. Psalm. 81. Isai. 60. Iob. 3. Et 17.

 sequitur.

sequitur. In cuius rei argumentum videmus, quòd cum Deus filios Israel in terram promissionis per desertum duceret, præcedebat illos in columna nubis. Et Exod. 16. dum Deus cum Moyse colloqueretur, gloria Dei apparuit in nube. Et cap. 40. *Operuit nubes tabernaculum testimony, & gloria Domini impleuit illud.*

Exod. 16.

Et cap. 40.

Iuxta igitur hanc triplicem caliginis significationem tripliciter possunt hæc verba accipi. *Quomodo obtexit caligine.*] id est, quomodo terra caligine & densis tenebris ignorantiæ obduxit Dominus Ierusalem. Videmus quippe in gratiam huius expositionis, quòd cum Isaiæ cap. 6. tota terra maiestate Domini repleretur, tamen domus Iacob repleta est fumo, idque in pœnam ingratitudinis Ierosolymæ, super quam venit lumen Christi, & lux Domini orta est ei. Lux enim illa æterna & increata venit in mundum, & præcipuè ad illuminandam domum Iacob; at dilexerunt Iudæi magis tenebras, quàm lucem. Lux materialis, quam Deus in principio creauit, cùm momento temporis totum terrarum orbem illustraret; non tamen terræ cauernas splendore sui iubaris potuit penetrare: at lux æterna, vel ipsum cor terræ, hoc est, sinum Abrahæ, Iudæorum animas illustratura penetrauit. Solùm autem domus Iacob, quia dilexit magis tenebras quàm lucem, adhuc meritò repleta est fumo, & obducta caligine.

Isai. 6.

Secundò, *Quomodo obtexit caligine.*] id est, tristitia & mœrore. Nam in tenebris & squalore versari idem est quod tristitia affici, vel consumi; vt iam diximus. Quomodo ergo, inquit Ieremias,

remias, caligo occupauit ciuitatem gaudij nostri, & ipsa amaritudine inuoluta est.

Tertiò, *Quomodo obtexit caligine.*] id est quomodo Deus Ierusalem sitam in monte Sion, quasi partum illius, extulit ad sidera, vt postea in furore suo illam ad imas Barathri Cocytíque voragines deturbaret. Sublata enim fuit Ierusalem in altum, vt casu grauiore rueret. Atque hoc vltimo modo intelligunt hunc locum Rab. Dauid Chimhi, & Rab. Abraham, Pagninus, & alij. *Rab. Dauid. Rab. Abrah. Pagninus.*

Proiecit de cœlo in terram inclytam Israel.] Rab. Solomô ita exponit: Postquam Deus extulit Hebræos vsque in cœlum, deiecit eos vsque in terram, ex tecto alto in cisternam profundam. Exaltauerat namque Deus, vt bene notauerat Figuerius, Ierusalem per misericordiam, & deiecit eam postea per iustitiam, quoniam fuit ingrata beneficiis acceptis. *De cœlo*, id est, ab alto culmine dignitatis. Sic Isaias cap. 14. dum lamentatur casum regis Babylonis, inquit: *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, &c.* Proiecta est autem Ierusalem de altitudine gloriæ, de solio regali, de tutela Dei in profundum miseriarum pelagus? *Inclytam.*] Decus, ornamentum, ac pulchritudinem Israel: inclytam victoriis & triumphis, emporium Orbis, Metropolim Iudææ, in qua sola licitum erat sacrificare, ciuitatem denique gloriosam. Sic enim Septuaginta legunt: *Gloriam*, seu gloriationem Israel. Similem locum inuenies Isai. 13. dum Babylonis ruinam refert: *Et erit Babylon illa ciuitas gloriosa in regnis, inclyta in superbia Chaldæorum, sicut sub-* *Rab. Solomô. Figuerius. Isai. 14. Septuaginta. Isai. 13.*

uertit Dominus Sodomam & Gomorrham. Quem quoque dicendi morem inuenies apud Virgilium 6.Ænead.

Virgil.6.Ænead.

Hostis habet muros, ruit alto à culmine Troia.

Et non est recordatus scabelli pedum suorum.] Per *scabellum pedum* Domini intelligunt Lyra, Paraphrastes, & alij, templum, quod Chaldæi incenderunt, intra quod erat arca testamenti, & propitiatorium, quod erat quasi sedes Dei; arca verò instar scabelli illius. Nam arca subiecta erat propitiatorio, vt scabellū sedi. Vnde Theodoretus per *scabellum* ad literam intelligit ipsam arcam, super quam Deus sessurum se promisit in medio propitiatorij, vt inde loqueretur. Quę est etiam sententia Rabbi Solomonis, & Rab. Dauid. Quòd verò arca vocetur *scabellum pedum Domini*, satis probatur ex 28. cap. 1. lib. Paralip. vbi Dauid inquit: *Cogitaui, vt ædificarem domum, in qua requiesceret arca fœderis, & scabellum pedum Domini Dei nostri.* Particula verò *&* non disiunctiua, sed coniunctiua est, vt sit sensus: vt requiesceret arca fœderis, quæ est scabellum pedum Domini. Probatur etiam ex Psal. 98. *Exaltate Dominum Deum nostrum, & adorate scabellum pedum eius*, id est, adorate Deum sedentem super arcam testamēti. Et Ps. 131. *Introibimus in tabernaculū eius, adorabimus in loco, vbi steterūt pedes eius.* Vbi alij legunt: *Prosternemus nos ad scabellum pedum eius.* Rupertus verò per scabellum pedum Domini ait nuncupari ciuitatem Ierusalem, eo videlicet respectu, quo & ciuitatem illam sacra Scriptura ita nominare cōsueuit, nimirum propter cultum diuinæ religionis, & templum Domini,

Lyra. Paraphr. Theodoret. Rab. Solom. Rab Dauid. Paral. 28. Psalm. 98. Psalm. 131. Rupertus.

mini, quod iuxta rationem temporis qualicumque ritu primitus in ea ciuitate celeberrimum fuit. Nam & propter eandem causam typum gerit Ecclesiæ Christi; in qua nunc per omnẽ terram vero ritu inuocatur nomen Domini. Et tũc quidẽ, quia in illa sola ciuitate inuocabatur nomen Domini: sola merebatur dici scabellum pedum Domini: modò verò, quia in omni terra inuocatur nomen Domini; & omnis terra repleta est multis Ecclesiis, rectè omnis terra dici potest scabellũ pedum Domini; vnde est illud propheticum: *Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellũ pedũ meorum.* Elegantissima autem similitudine idem Rupertus exprimit strepitũ miseræ ciuitatis ruẽtis: quasi enim regem ostendi inquit à propheta Dominũ sedentem in alta sede, scabellũ habentem sub pedibus suis, tanto verò furore excitatum, tanta ira commotum, vt pedibus scabellum suum longè proiecerit, dum nescit, dum præ ira non considerat, quantũ hoc nociturũ sit pedibus suis pendẽtibus. Quasi hoc impetu filiã Sion, inquit, & inclytã Israel de cœlo in terrã, de dignitate in ignominiã proiecit Dominus, & caligine amẽtiæ ruentẽ inuoluit. *In die furoris sui*] quæ diẽ Domini obseruare noluit, quẽ vidit Abraham, & vidẽs gauisus est, impegit in diẽ furoris Domini. *Rupertus.*

Mysticè verò, authore D. Hieronymo, anima peccatrix, quæ quondã habuit lumen sciẽtiæ, & speculum diuinæ contẽplationis, quando pedes Domini, hoc est, vestigia præceptorũ eius in cordis illius secreto cõsistebãt; nũc propter cæcitatẽ cordis, & nequitiã prauæ actionis, de culmine virtutũ in fœditatẽ terrenorũ desideriorũ prolapsa,

Primasius. iusto iudicio Dei spreta atque derelicta ab hostibus conculcatur; nec, vt inquit Primasius, recordatur Deus illius in die furoris sui, quia ipsa in die Domini, & in luce stare noluit. Cùm igitur per gratiam templum Domini simus, caueamus, ne illud sceleribus polluamus, & prophanemus, iuxta comminatoriam Diui Pauli
1.Corinth.3. sententiam 1.Corinth.cap.3. *Si quis templum Dei violauerit, disperdet illum Deus.* Si enim ex mortuis lapidibus templum à gentibus coinquinari Deus ægrè fert, quomodo templum viuum, quod est anima nostra, à nobis ipsis prophanari scelerum multitudine sustinebit?

Beth. *Præcipitauit Dominus, nec pepercit omnia speciosa Iacob, destruxit in furore suo munitiones virginis Iuda, & deiecit in terram: polluit regnum, & principes eius.*

QVOD dixerat superiùs [*proiecit in terram inclytam Israel.*] iterum repetit, dicens: Præcipitauit, nec pepercit, omnia speciosa Iacob.] Et iterum: *deiecit in terram munitiones virginis Iuda*: id est, castella, turres, ac mœnia Ierusalem, quam appellat *virginem* ob rationes superiùs allatas, Et *Iuda*, quoniam à Iuda quarto filio Iacob Iudæi denominantur. Paraphrastes legit: *deuastauit*, vel consumpsit. Septuaginta verò; *demersit* vel *obruit*, non aliter
Paraphrastes Septuaginta.
quàm

quàm nauis in profundum demergitur. Polluere verò regnum hoc loco, si radicem Hebræam speculemur, idem est quod prophanare; seu, vt aliqui vertunt, diripiendum dare. Quod, vt obseruat Figuerius, Lusitanè dicimus *dar' asaco a cidade*. Secundum autem Rab. Solomô, & Rab. Dauid si intelligendus est iste locus: Regnum olim sanctum, & specialiter electum ad Dei cultum prophanauit Deus, permissiuè scilicet, vel vtendo Chaldæis, veluti ministris ad faciendã vindictã in illa natione auferendo tẽplum, & sacerdotium, à gente Hebræorum; quæ expositio mihi maximè placet. Denique, vt inquit Rupertus, cunctis vocibus istis qualitatem culpę designat propheta, & superbiæ culpã fuisse ostendit, pro qua Ierusalem destructa est.

Figuerius.
Rab. Solomô.
Rab. Dauid.
Rupertus.

Ghimel.] *Confregit in ira furoris omne cornu Israel, auertit retrorsum dexteram suam à facie inimici: & succendit in Iacob, quasi ignem flammæ deuorantis in gyro.*

CVM Deus semper resistat superbis: nunc iterum vtitur propheta verbis id ipsum exprimentibus, vt pote: *Confregit omne cornu Israel.* Cornu autem in sacris literis multis modis vsurpari solet. Primò enim accipitur *cornu* pro robore, & fortitudine, sumpta similitudine à cornibus vnicornium, vel taurorum, in

quibus consistit robur, & fortitudo illorum, ita vt sine cornibus deformes & imbecilles maneant. Qua quidem metaphora vtitur Dauid Psalm. 74. *Omnia cornua peccatorum confringam, & exaltabuntur cornua iusti.* Et Psalm. 43. *In te inimicos nostros ventilabimus cornu*; id est, tuo auxilio non aliter, quàm taurus fortitudine cornibus inhærente, quos inuenit, in altum hûc illucque ventilare solet, hostes nostros profligabimus. Qua etiam metaphora vtitur idem Ieremias cap. 48. *Abscissum est cornu Moab.* Iuxta igitur hanc significationem ita intelligamus hunc locum: *Confregit Deus omne cornu Israel*; id est, omne robur, omnem gloriam, & fortitudinem illius, vt velut taurus inermis, aut aries absque fortitudine, videretur. Secundò sumitur *cornu* pro Rege, siue, duce 1. Regum cap. 2. *Sublimauit cornu Christi sui.* Et Psalm. 17. *Protector meus, & cornu salutis meæ.* Et Lucæ cap. 1. *Erexit cornu salutis nobis in domo Dauid pueri sui*, id est, Regem, siue regnum Messiæ. Vnde aliqui hoc Ieremiæ loco per *cornua* intelligunt duo Hebræorum regna: nimirum Iudææ, & Samariæ. Ego verò accommodatiùs hoc loco iuxta præfatum dicendi morem, per cornu, quod Deus in ira furoris sui confregit, intelligerem regem Sedechiam, quem rex Babylonis occisis filiis, erutis deinde oculis, duxit captiuum in Babylonem. Accipitur vltimò cornu pro iubare & splendore: in quo sensu Exod. 34. Cùm Moyses descendisset de monte, è consortio Domini, facies eius apparuit cornuta, micantissimóque iubaris splendore radiata. Atque in

Psal. 74. Psal. 43. Ierem. 48. 1. Reg. cap. 2. Et Psal. 17. Et Lucæ 1. Exod. 34.

hoc

hoc sensu fortè inquit propheta, Deum confregisse cornu, hoc est, gloriam, dignitatem, iubarque, & splendorem Ierusalem, eam tetra caligine & densis tenebris obducendo.

Auertit retrorsum dexteram suam à facie inimici.] Dextera quoque duobus modis accipitur. Primò pro auxilio, gratia, & fauore. Vnde Regius vates Psalm. 73. inquit: *Vt quid auertis manum tuam, & dexteram tuam?* Et Isaiæ 42. *Ne timeas, quia ego tecum sum, suscepit te dextera mea.* Et Apocal. cap. 1. Doctores nomine stellarum & angelorum significati, in dextera Domini esse dicuntur, vt ostendatur, quòd Doctoribus communicat Deus fortitudinem absconditam in dextera sua: Insuper, & quòd ita eos diligit, vt in manibus semper præ fauore gestare videatur. Eodem etiam modo Sapientiæ 3. *Iustorum animæ in manu esse dicuntur.* Nam per *dexteram* potior pars in Deo significatur, vt notauit D. Anselmus Apoc. 1. & D. Gregorius ita intelligit illa verba Marci 16. *Viderunt iuuenem sedentem in dexteris.* Et Christo Domino reuertenti è prælio cum triumpho, dixit Pater æternus, Psal. 109. *Sede à dextris meis.* Et Psal. 44. de regina quoque dicitur: *Astitit regina à dextris tuis.* Et electi ad dexteram Dei in die iudicij collocabuntur. Quare, *porrigere alicui dexteram*, est tribuere illi suũ auxiliũ, & fauorẽ. Vnde Marcus Tullius in oratione pro rege Deiotaro inquit: *Per dexteram te istam oro, quam regi Deiotaro hospes hospiti porrexisti.* Similiter, *auertere dexterã suam ab aliquo* est subtrahere eidem suum auxilium & fauorem. Vnde merito hoc Ieremiæ loco Paraphrastes

Psalm. 73.
Isai. 42.
Apoc. 1.
Sap. 3.
D. Anselm. Apoc. 1.
D. Gregor. Marci 16.
Psalm. 109.
Marcus Tul.
Paraph.

phrastes legit: *Retraxit retrorsum dexteram suam & opem non tulit populo suo.* Iute autem, inquit Rupertus, Deus dexteram suam auertit retrorsum, vt non auxilietur, aut subsistere faciat Israël ante faciem inimici, non quòd facturam suam contemnat; sed quòd cornutos esse homines per superbiam indignè ferat.

Rupertus.

Accipitur quoque *dextera Dei* pro flagello ipsius. Iob cap. 13. *Manum tuam longè fac à me.* Et cap. 19. *Manus Domini tetigit me.* Et Psal. 31. *Grauata est super me manus tua.* Et in hac acceptione sumpta dextera, sic sensus huius loci. Auertit Deus flagellum à Iudæorum inimicis, & in ipsos dexteram suam flagellantem conuertit. In quo etiam sensu ad literam intelliguntur verba Sophoniæ cap. 1. *Extendam manum meam super Iudam.* Modo verò postquam diuinus amor dexteram patris, hoc est, filium dilectissimum Christum Dominum cruci affixit, non iam tam facilè potest ille à nobis auertere dexteram istam, nec illa nos flagellare. Quòd si sinistra flagellati fuerimus, vt potę temporalibus ærumnis, dicamus læti cum Propheta Psa. 37. *Ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper.*

Iob cap. 13.
Et cap. 19.
Et Psalm. 31.
Sophonia 1.
Psalm. 37.

Succendit in Iacob quasi ignem.] Deuastauit Israel, quemadmodum ignis solet omnia deuastare, accendit in populo Israëlitico calamitatem instar ignis. Vel per ignem succensum, ille ignis ad literam intelligitur, quo Nabusardam, ciuitatem & templum combussit. At quare non dixit propheta: *Succendit ignem*; sed *succendit quasi ignem*? Eleganter respondit Rupertus, quòd

ciuitas

ciuitas illa vẽto superbiæ suæ quasi ignem conflando gentium contra se odia concitauit; & ille ventus fuit quasi ignis flammæ deuorantis in gyro, quem, vt efficientem causam ignis naturalis consecutus est.

Daleth.] *Tetendit arcum suum, quasi inimicus: firmauit dexteram suam, quasi hostis: & occidit omne, quod pulchrum erat visu, in tabernaculo filiæ Sion: effudit quasi ignem indignationem suam.*

QVOTIES Scriptura sacra Deum Optimum Maximũ in homines sæuientem depingit, semper priùs eum ad iram præparat, quasi ex improuiso nunquam ille irascatur: imò & ita rarò irascatur, vt quando irasci oporteat, priùs præparatione opus sit. Dauid Psal. 77. *Viam fecit semitæ iræ suæ.* Quasi, viæ, & semitæ iræ Domini, quia rarò per illas incedit, ita sint lapidibus & spinis obstrusæ, vt si quando irasci velit, priùs necesse habeat viam iræ suæ facere. Et Sapientiæ 5. depingens Salomon Deum in homines iratum, & se in hostium vltionem armantem, inquit: *Acuet diram lanceam.* Quæ verba quamuis legentes deterreant metu terribilis ictus, quem lancea acuta comminatur; consolatur tamen nos plurimùm rubigo inueterata in lancea Domini.

Dauid Psal. 77.

Sap. 5.

Domini. Si enim illa sæpius Deus homines feriret, profectò rubiginem non contraheret. Simili modo in præsentiarum videmus apparatum, quo propheta depingit Deum iratum in Ierusalem: *Tetendit arcum suum*, id est, armauit (nam antea non videtur illum habuisse armatum, sed scelera Ierusalem quodammodo brachium Dei extendebant ad armandum arcum contra Iudæos.) *Firmauit dexteram.*] in directionem scilicet sagittæ. Nam cùm Deus non frequentet arcum ad configendos homines, si quando eos sagittare vult, firmat dexteram suam, vt sagitta certo ictu in eum, quem ferire vult, dirigatur. Manus Domini, filios percussura, quasi tremore corripitur, atque adeo, vt tremente dextera sagittam collimare possit, ipsam dexteram quasi firmat. Iram quoque, quam in sphæra patientiæ suæ conflatam & compressam habebat, exigentibus peccatis Israel quasi ignẽ effudit. Eâdem phrasi vtitur Psalmista Psalm. 78. *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non nouerunt.* Comparatur autem furor Domini igni propter eius vehementiam & efficaciam: ignis enim omnium elementorum efficacissimus est, vsque adeò vt vel ipsum ferrum durissimum emolliat, & duros lapides in puluerem resoluat.

Psalmista Psalm. 78.

He.] *Factus est Dominus, veluti inimicus: præcipitauit Israel, præcipitauit omnia mœnia eius, dissipauit muni*

munitiones eius: Et repleuit in filia Iuda humiliatum, & humiliatam.

PARTICVLÆ *quasi, Et, velut*, non semper similitudinem, sed aliquando veritatem significant, vt satis probatur Ioannis 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre.* At hoc loco plurimum consolationis inuenio in hac voce *veluti*, non enim dixit: *Factus est Deus inimicus*: sed *quasi inimicus.*] Namque, vt inquit Rupertus: Inimici, nec proprietas, nec vocabulum in Deum cadit: inimicus quippe is est, qui iura violat, qui iusta tollit, aut negat, cuius ex parte deficit, aut perit fructus amicitiæ, pax. Sed hæc omnia in Deo reperiri non possunt; nec enim ex parte illius fœdus amicitiæ, aut integritas pacis violatur, nec cùm sit iustissimus, iusta tollere aut negare alicui potest. [*Quasi inimicus.*] Sed nec ita ipsos inimicos amicorum nomine, & obsequio priuat. Videmus siquidem, quòd nec Iudam proditorem amici nomine in horto priuauit, cùm osculo pacis ipsum Dominum morti traderet; imo verò vt amicum illum excepit. Matthæi 26. dicens: *Amice ad quid venisti?* Nec ipsos milites crucifigentes, hostes aliquando reputauit; cùm Zachariæ cap. 13. Angelis interrogantibus, *Quæ sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum*, respondit: *His ego plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me. Præcipitauit omnia mœnia.*] Lacrymosa relatio ad compatiendum commouet, ad lamenta inclinat, ad lacrymas prouocat, ideo propheta eadē sæpe retexens, in medium

Ioan. 1.

Rupertus.

Matth. 26.

Zach. cap. 13.

medium profert; vt ad noua verba nouæ effundantur lacrymæ; & eadem sæpissime iterata sub nouo tenore verborum nunquam fastidiant: Ne forte, vt inquit Paschasius, cùm Dominus per Isaiam vocet ad fletum, ad planctum, ad cingulum sacci, nos ad gaudium & vanam lætitiam excurramus. *Repleuit in filia Iuda humiliatum, & humiliatam.*] Glossa interlinearis, & Nicolaus de Lyra, explicant: Humiliauit vtrumque sexum, in seruitutem & captiuitatem redigendo. Brixianus legit: *Repleuit filiam Iuda lamentatione & luctu.* Ioannes Benedictus: *Multiplicauit in filia Iuda luctum, & lamentum.* Figuerius ita explicat: Fecit, vt multi vtriusque sexus humiliarentur, & viliter tractarentur à superbis victoribus. Quod clariùs explicatur infrà, cap. 5. ibi: *Mulieres humiliauerunt in Sion, & virgines in ciuitatibus Iuda. Adolescentibus impudicè abusi sunt.*

Paschasius. Gloss. interlinearis. Nicolaus de Lyra. Brixianus. Ioan. Benedictus. Figuerius.

Vau.] *Et dissipauit quasi hortum tentorium suum: demolitus est tabernaculum suum: Obliuioni tradidit Dominus in Sion festiuitatem, & sabbatum, & in opprobrium, & indignationem furoris sui regem, & sacerdotem.*

Paraphrast.

PARAPHRASTES habet: *Eradicauit tamquam hortum tentorium suum.* Eodem ferè modo

modo legit D. Thomas. Lyra verò ita explicat Dissipauit quasi hortum, cuius clausuræ collectis fructibus dissipantur. Figuerius acerrimus idiomatum indagator, asserit pro *horto* haberi in Chaldæo *Chinta* qua etiam appellatione Lusitanè hortos, & villas, *quintas* vocamus. Tentorium autem siue tabernaculum Domini, appellat Rupertus templum augustissimum; in quo quasi in tabernaculo, quod ad horam figi solet, militabat nomine Domini fides peregrinantium, manentem hîc ciuitatem non habentium, sed futuram inquirentium. D. Hieronymus notat, quòd quanuis nomen tentorij, & tabernaculi idem ferè sonet, tamen, in tentorio, tabernaculum illud quod Moyses in deserto fabricauit, & in tabernaculo, templum, quod Salomon in terra promissionis ædificauit, possumus intelligere. Quæ omnia in manus hostiū Deus tradidit, sicut Psal. 77. legitur: *Repulit Dominus tabernaculū Silô, tabernaculū suum, vbi habitauit in hominibus, & tradidit in captiuitatē virtutem eorum, & pulchritudinem eorum.* Hector Pintus per tentorium etiam intelligit ciuitatem sanctam Ierusalem, vt sit sensus: Dissipauit Ierosolymam, quæ instar horti amœnissimi iucundissima erat: destruxit, quasi tugurium, hortorum ciuitatem. Hoc prædixerat Ioel cap. 2. *Quasi hortus voluptatis terra coram eo, & post eum solitudo deserti: Obliuioni tradidit Dominus in Sion festiuitatem.*] Vide quæ in hanc sententiam diximus cap. 1. ad illa verba: *Viæ Sion lugent, eo quod &c.* [*Regem, & Sacerdotem.*] id est, vniuersam Rempublicam Iudaicam, quæ constat Rege, & Sacer

D. Thom.
Lyra.
Figuerius.
Rupertus.
D. Hieron.
Psalm. 77.
Hector Pintus.
Ioel cap. 2.

Sacerdote, regnóque, ac sacerdotio, destruxit, & deleuit.

Allegoricè autem hic hortus est Ecclesia; de qua in Cant. cap. 4. dicitur: *Hortus conclusus, soror mea*, ibi puteus aquarum viuentium, ibi spirat Auster, & remouetur Aquilo, fluunt aromata, fauum cum melle comedit sponsus. Est alius hortus deliciarum, quasi paradisus Dei, de quo inquit Scriptura, quòd leuauit oculos suos Loth, & vidit omnem regionem Iordanis, quæ irrigabatur, sicut paradisus Dei, & sicut Ægyptus, vt esset quasi hortus deliciarum voluptatis. Sed ad has delicias, inquit Paschasius, quòd suspirant Iudæi; &, vt ego arbitror, improbi Christiani cæpas, pepones, cucumeres Ægyptiorum desiderantes, quæ omnia in animo eorum sunt, qui terrena sapiunt. Ad huius horti solitudinem dissipat Dominus in Ecclesia lasciuientes, & ad Sodomorum, & Gomorrhæorum, Ægyptiorúmque desideria suspirantes. Demolitur autem tabernaculum, cùm quosdam in Ecclesia degentes flagellis exterminari, & concremari vitiis permittit; non enim habitat in tabernaculo Dei, nisi qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam. Obliuioni tradit Deus festiuitates nostras, & sabbata nostra, non quòd ei non placeant festa nostræ religionis, sed quoniam in nobis templum Dei violatur. Rex, & Sacerdos opprobrio traduntur, qui Ecclesiæ iuxta Isaiam 49. quasi nutritij proponuntur, & quoniam violant templum SPIRITVS SANCTI, magis in Ecclesia opprobrium sunt, quàm decus; de quibus Dauid

Cant. 4. *Paschasius.* *Isaias 49.*

Dauid Psal. 2. *Et nunc reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram.* *Dauid Psal. 2.*

Zain.] *Repulit Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suæ: tradidit in manus inimici muros turrium eius: vocem dederunt in domo Domini sicut in die solemni.*

QVOD superiùs dixerat: *Non est recordatus scabelli pedum suorum*: nunc explicat dicens: Repulit altare suum, id est, longè fecit, procul remouit à se quasi rem sibi abominabilem. Sic Isaiæ cap. 1. habetur: *Incensum abominatio est mihi, Calendas vestras, & solemnitates vestras odiuit anima mea, facta sunt mihi molesta.* *Isai. 1.*

Maledixit sanctificationi suæ.] id est, permisit, vt hostes maledicerent sanctificationi suæ, vel aspernatus est templum, vbi olim adorabatur, & sanctificabatur. [*Vocem dederunt in domo Domini sicut in die solemni.*] Rupertus ita explicat: Nunquam altiùs in gaudio solemnitatis cecinerunt, quàm nunc in angusta sua, & dolore clamauerunt. Vel ita intelligamus hunc locum; quòd hostes Iudæorum, cùm templum destruerent, & incenderent, lætabundi barbarum inconditúmque clamorem dederunt: sicut in eodem templo solebant Iudæi cantare, & præ gaudio vociferare. Theod. habet: *Vocem dederunt, tamquam psalmum Leuitarum*; loco enim *Rupertus.* *Theod.*

psalmodiæ solitæ resonabat vlulatus captiuo-rum, pl ausúsque hostium.

Heth.] *Cogitauit Dominus dißipare murum filiæ Sion : tetendit funiculum suum, & non auertit manum suam à perditione; luxítque antemurale, & murus pariter dißipatus est.*

NON subito furore correptus Deus Ierusalem sauciauit, sed profundo & cogitabundo totius Trinitatis consilio deliberatè disposuit Ierusalem euertere, & ne videatur iustitiæ metam excessisse, additur. [*Tetendit funiculum suum.*] id est mensuram, vt secundùm delictum esset plagarum modus. Vt enim sartor priùs funiculo, gypsóque ac norma pānum metitur, & postea scindit; ita Deus quodammodo nostro intelligendi more videtur priùs culpam Ierusalem rationis regula dimēsus fuisse, & postea dissipasse muros, & ciuitatem. Atque ita Theod. per funiculum intelligit æquam & iustam sententiam, qua Deus Ierusalem damnauit. [*Nec auertit manum suam à perditione.*] donec impleatur mensura pœnæ iuxta illud Isaiæ cap. 5. *Adhuc manus eius extensa.* Rupertus ita explicat: Tetendit super eam funiculum „ suum longitudinis septuaginta annorum, & „ cogitauit non aue tere manum suam à perditione;

Theod.

Isaiæ 5.
Rupertus.

tione, id est, captiuitatem finire ante consūmationem eorundem septuaginta annorum, nec antè reædificandum erat antemurale; & murus, qui pariter dissipatus est.

Funiculus autem in Scriptura significat etiā mensuram diuisionum hæreditatum Psalm. 15. *Funes ceciderunt mihi in præclaris.* Etenim hæreditas mea præclara est mihi. Et Psalm. 77. *Sorte diuisit eis terram in funiculo distributionis.* Alluditur enim ad historiam Iosue 13. quando agros metiebatur, eósque per familias diuidebat. Atque in hoc sensu, tendere funiculum suum, idem est, quod Babyloniis tradere hæreditatem & possessionem Israel. Cui expositioni fauent hoc loco hæc D. Hieronymi verba: Dominus iustus iudex, & iustitiam diligens non auertit manum suam à perditione eius, sed terram illius funiculo metiens hostibus partiendam diuidit. Sumitur etiam funiculus pro flagello, seu fuste, quo aliquis verberatur. Psalm. 118. *Funes peccatorum circumplexi sunt me*; ex funibus enim flagella aliquando conflantur, quod Lusitanè dicimus *disciplinas*, In hac ergo acceptione est sensus: Tetendit funiculum suum, me flagellaturus, méque pluribus verberibus affecit, nec àb illis cessauit, donec pro mensura delicti impleretur plagarum modus.

Psalm. 1. Psalm. 77. Iosue 13. D. Hieron. Psalm. 118.

Antemurale est paruus murus forinsecus mœnia cingens, quod Lusitanè appellamus *barbacam.* Accipitur aliquando pro turribus, & propugnaculis, quæ extra muros ad cāporum planiciem prorumpant. Dicitur autem lugere eo modo, quo cap. 1. viæ Sion lugere dicuntur. Et

Isaiæ 24.habetur: *Fluxitque & defluxit terra*. Murum autem,& antemurale, inquit D. Hieronymus, Dominus dissipauit, cùm angelorum custodiam,& defensionem,quam Domini pietate, & patrum suorum merito olim habuerant, ab ipsa secedere fecit.

D. Hieron.

Allegoricè Christus est Ecclesiæ murus, & antemurale,iuxta illud Isaiæ 26. *Vrbs fortitudinis nostra Sion saluator ponetur in ea murus,& antemurale*. Quemadmodũ enim quando duces Romani triũphantes,vrbes ingrediebantur,ad ingressum illorũ rũpebantur muri, quia credebant vrbes illæ, pro muro & antemurali egregium ducem sibi sufficere:ita Ierusalem sancta credit,instar murorum esse sibi saluatorem ; atque ideo lætabunda cantat: *Vrbs fortitudinis nostra Sion saluator,ponetur in ea murus*. Hic igitur murus dissipatur, cùm anima ingrata per peccatum obstinata Christi munitione auxilióque destituitur. Luget autem hic murus, & antemurale, quia Christo, qui est caput Ecclesiæ, luctus mẽbrorum suorum adscribitur.

Isai. 26.

Teth.] *Defixa sunt in terra portæ eius; perdidit, & contriuit vectes eius, regem eius, & principes eius in gentibus: non est lex, & prophetæ eius non inuenerunt visionem à Domino.*

IDEM

IDEM ferè repetit, quod iam superiùs dixerat. Portæ enim Ierusalem fuerunt ab ingredientibus hostibus semotæ, & in terram proiectæ; vel ceciderunt ad ruinam murorum. Videatur, quod diximus de portis Ierusalem cap. 1. ad illa verba: *Omnes portæ eius destructæ.* Aliqui Rabbini sentiunt, portas fuisse diuinitus à valuis sublatas, & in terram proiectas, ne in hostium potestatem deuenirent, eo quòd illas fabricauerit Dauid, & quòd insuper intranti arcæ Domini se vltrò apparuerint, iuxta verba Psalm. 23. *Eleuamini portæ æternales.* Sed hic dicendi modus non videtur probabilis. Si enim Deus in obsequium Dauid, & honorem earundem seruare eas voluisset, non permitteret, vt in terram proiicerentur, sed per miraculum eas intactas seruasset. Quare in plano sensu dicamus potiùs hostili impetu tam portas quàm vectes, & repagula fuisse confracta. *Rabbini.* *Psalm 23.*

Regem eius, & principes eius in gentibus.] Perdidit scilicet, & confregit, tradens gentium ditioni regni principes, dynastas, ac denique totum statum politicum subuertens.

D. Thomas parabolicè per portas intelligit reges; ad portas enim iudicialis potestas, quę in regibus emicat, exercebatur; per vectes verò, ipsos principes regni, quibus veluti repagulis firmatur regnū. Qua etiam expositione procedit Paschasius. D. Hieron. verò per portas intelligit legis doctores, & defensores, & ideò asserit, quod addit propheta: *Non est lex*: quia scilicet Chaldęi libros legis cōcremarunt in templo. Vel non est lex apud Iudæos, vt arbitror, quia cū *Christus sit* *D. Thom.* *Paschasius.* *D. Hieron.*

finis legis ad iustitiam omni credenti, vt inquit Paulus ad Rom. 10. deserto Christo, tamquam fine legis, defecit ipsa quoque lex. Præterea Christus Dominus est patris sapientia, à qua velut à fonte leges diuinæ emanarunt. Hanc de medio sustulerunt Iudæi, Christum Dominum crucifigentes; ideo apud illos non est lex, cùm felle potauerint os patris, per quod æterna sapientia, & legum documenta hominibus communicantur. Rab. Solomô ita exponit: *Non est lex*, id est, in eis, seu inter illos non est qui doceat veram doctrinam. Qui dicendi, vel explicandi modus etiam mihi maximè placet.

ad Rom. 10.

Rab. Solomô.

Propheta eius non inuenerunt visionem à Domino.] quoniam legiferum suum, & Dominum prophetarum præsentem viderunt, & contempserunt, & ideò indigni erant, quibus Deus ventura illis indicaret. Sic 1. Regum cap. 14. Videmus, quòd consuluit Saul Dominum, & non respondit ei, neque per somnia, neque per sacerdotes, neque per prophetas: quia indignus erat respósione Domini propter scelera sua.

1. Reg. ca. 14.

Iod.] *Sederunt in terra: conticuerunt senes filiæ Sion: consperserunt cinere capita sua; accincti sunt ciliciis; abiecerunt in terra capita sua virgines Ierusalem.*

DEPINGITVR habitus & status pœnitentiam agentium: sedere nimirum in terra,

terra, & tacere, conspergere capita cinere, induere cilicium; terram denique osculari. Similia namque passim in Scriptura inueniuntur. Iob cap.2. *Tam ipse, quàm tres amici eius septem diebus sedentes in terra, nec verbum locuti sunt.* Et cap.3. ait: *Comparatus sum luto, assimilatus sum fauillæ, & cineri.* Puluis enim, & cinis symbolum sunt pœnitentiæ. Vnde Abraham Genes.18. dicebat: *Loquar ad Dominum, cùm sim puluis, & cinis.* Et Iob cap.16. inquit: *Operui cinere carnem meam.* Et cap. 42. *Ago pœnitentiam in cinere, & fauilla.* Ierem.6. *Filia populi mei accingere cilicio, conspergere cinere.* Et Ionæ 3. *Descenditque Rex de solio, & sedit in cinere.* Denique Dauid pœnitentiam agens, Psal. 101. *Cinerem tamquam panem manducabat; poculúmque suum cũ potu miscebat.* At quorsum ista? Quid iuuat pœnitenti puluis, & cinis? Multum quidem apud Deum. Quemadmodũ enim impetus tormenti bellici in monte cineris vel pulueris infringitur: ita ira Domini in conspectu cineris nostri quodammodo debilitatur. Vnde elegãter Dauid Psal.102. inquit: *Recordatus est, quoniã puluis sumus.* Videbatur enim Dauid videre brachiũ Domini armatum in peccatores: at verò à recordatione cineris, hoc est, fragilitatis humanæ, ictum iustitiæ quodammodo debilitari: & ideo tam ipse quàm cæteri patres antiqui, dum pœnitentiam agebant, se cineris scuto à conspectu Domini protegebant. Subtili quidem modo in hanc sententiam volebat Iob cap. 7. cogere Deum Optimum Maximum, vt sibi in necessitatibus subueniret: *Cur non tollis,* inquit, *peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam? Ecce*

Iob cap.2. Et cap.3. Genes.18. Iob cap. 16. cap.42. Ieremias 6. Ionæ 3. Psalm. 101. Psalm. 102. Iob cap.7.

nunc in puluere dormiam, & si manè me quæsieris, non subsistam. Videbat Iob Deum nihilo magis quàm pœnitentia peccatoris delectari; sciebat, quanto pretio Deus habeat occasionem miserendi pauperis per pœnitentiam humiliati: & ideò confidenter inquit: Si mihi citò non subueneris, in hac pulueris miseria dormiam; & si tu manè volueris mihi succurrere, iam me non inuenies, amittésque hanc miserendi occasionem. Nihil interest, quòd Iob non subsistat, interest tamen multùm, quòd Deus miserendi non perdat occasionem. Cùm igitur sedere in puluere, & conspergere capita cinere, sit symbolum mœroris & pœnitentiæ, vt satis declaratum est, iure propheta senes ac Virgines Ierusalem hoc loco tali habitu & statu depingit, vt à Domino clementissimo misericordiam consequi valeant.

Caph.] *Defecerunt præ lacrymis oculi mei; conturbata sunt viscera mea; effusum est in terra iecur meum super contritionem filiæ populi mei; cùm deficeret paruulus, & lactens in plateis oppidi.*

EXPRIMIT propheta vehementiam lacrymarum, & causam illarum. Vehemētia talis

talis erat, vt cor dolore maceratum per oculos guttatim effunderetur; vsque adeò vt iam oculi plorando deficerent; ideoque cap. 9. idem propheta, oculis suis fontem lacrymarum postulabat, ne dolori suo lacrymæ deessent. Dicitur autem iecur effusum præ tristitia, cùm illud sit sedes gaudij & lætitiæ. Sumitur verò aliquãdo *iecur* pro vita, quia ex sententia Medicorum illud est sanguinis fons. Vnde iecur effundere, idem est, quod vitam amittere. Similiter iecur alicuius rumpere, est illum interficere: Oseæ 13. *Rumpam interiora iecoris eorum*, id est, interficiam eos. Significat igitur propheta, præ dolore se penè emortuum, vel exanimatum fuisse, vel vitam sibi abscissam fuisse.

Dauid c. 9.

Osea. 13.

Causa autem doloris & lacrymarum, est cõtritio Ierusalem, id est, calamitas, excidiúmque illius miserandum, maximè cùm infantes ipsos vidisset propheta in plateis fame contabescentes expirare. Sic Genes. 21. Videmus, quòd cùm Agar in solitudine puerum Ismael siti perire vidisset, illum abiecit subter vnam arborem, quæ ibi erat, seditque è regione procul, ne videret infantem morientem.

Genes. 21.

Lameth.] *Matribus suis dixerũt: vbi est triticum, & vinum? cùm deficerent, quasi vulnerati in plateis ciuitatis: cùm exhalarent animas suas in sinu matrum suarum.*

Per

PERSISTIT adhuc in enarrando causam doloris; matribus enim suis tabidis, & fame marcescentibus; dicebant paruuli: vbi est triticum? Vbi est vinum? pro ætate non discernentes, vtrùm per laborem acquirere, an ex natura sua proferre solerent matres triticum, & vinũ; & hæc dicentes in ipso vlulatu quasi vulnerati; imò famis aculeo transuerberati, deficiebant; & quod humanitati visu intolerabile erat, in sinu matrum suarum à siccis vberibus decidentes, animas suas exhalabant; quod dicimus Lusitanè *estauaõ estalando; esperècendo.* Obserua autem, quod dicunt: *Vbi est triticum?* Et non, vbi est panis? Quia scilicet grana tritici comedebant, non audentes molendinario ea credere. Similiter nota, eam esse tunc temporis prauam consuetudinem, quòd pueri vino potarentur, ita vt illo deficiente dicerent: *Vbi est vinum?*

Allegoricè per triticum intelligitur frumentum electorum, & vinum germinans Virgines de vinea Soreth, id est, de vite, quæ est Christus. Quo quidem frumento & vino æternus pater nos stabiliuit, vt cor nostrum confirmetur, & lætificetur. Atque hunc cœlestem cibum, vel ab infantia appetit Christianus, cùm in baptismo ad sustentandam vitam spiritualem appetit Eucharistiam. At temporibus tribulationis Ecclesiæ primùm, quod hæretici procurant, est auferre istum cibum ab Ecclesia, dicentes, Ieremiæ 21: *Mittamus lignum*, id est, herbam venenosam, seu venenum hæresum, *in panem eius*, qui panis est Eucharistia, *& eradamus eum de terra viuentium.* Existimant enim, deficiente Euchari

Ierem. 21.

charistia in Ecclesia, facilè ipsam ruituram. Deficiente ergo hostia, & sacrificio, paruuli Christiani ab Ecclesia petunt hunc panem angelorum, & vinum germinans virgines, quod cùm non assequantur, vitiorum sagittis vulnerati, in plateis Ierusalem exhalant animas.

Mem.] *Cui comparabo te, vel cui assimilabo te filia* Ierusalem*? Cui adæquabo te, & consolabor te virgo filia Sion? Magna est enim velut mare contritio tua; quis medebitur tui?*

SOLATIVM est miseris socios habere calamitatum, vt iam sæpe ostendimus; Namque, vt inquit Seneca:

Ferre quam sortem patiuntur omnes,
Nemo recusat.

Hoc verò solatio caret Ierusalem, cùm non reperiatur alia ciuitas, cui ipsius calamitas valeat adæquari. Nam, vt inquit Rupertus: non potest comparari Niniuitis, quoniam illi pœnitentiam egerunt ad prædicationem Ionæ. Nec Tyro, aut Sydoni possumus illam exæquare, quoniam non sunt facta & dicta in illis, quæ facta & dicta sunt in Ierusalem: si enim in illis facta fuissent, vt inquit Christus Dominus *Rupertus.*

Matth.

Matth. 12. Matth. 12. *Olim in cinere , & cilicio pœnitentiam egissent*. Quis ergo medebitur illius , nisi fuerit cœlestis medicus? cùm insanabilis sit fra-
*Ierem.ca.*30. ctura eius, & plaga pessima, vt inquit Ieremias cap.30. Nec curationũ vtilitas reperiatur,quip-
*Mich. cap.*1. ge cùm desperata sit plaga eius, vt inquit Micheas cap.1. Si ergo Deus percussit Ierusalem, quis alius poterit eam sanare? Imo verò cùm magna sit velut mare contritio illius, si aliquis ad curandum accedat, persecutionum,& ipsius quoque mortis in ipsa patietur naufragium. Comparatur autem contritio Ierusalem mari. Primò, quoniam quemadmodum omnia flumina intrant in mare, ita omnium ciuitatum tribulationes in Ierosolymę desolationem conuenerunt. Et, vt congregationes aquarum maria in Scriptura appellantur: ita multitudo dolorum,quam misera Ierosolyma patiebatur, hoc nomine digna est. Præterea, quemadmodum quidquid est in mari, salsum est; ita quidquid in hac vrbis direptione considerari potest,amaritudine plenum erat. Vltimò, quoniam quemadmodum mare exsiccari non potest: ita contritio filiæ Sion explicari non valet.

Quod verò in illis verbis [*Quis medebitur tui?*] subintelligatur, nisi Dominus, qui percussit; figura est reticentiæ in Scriptura vsitatissi-
*Ierem.*17. ma:illa enim vtitur Ieremias cap.17. dũ inquit: *Prauum est cor hominis , & inscrutabile , & quis cognoscet illud? Ego Dominus*. Et Paulus Romano-
*Paul.Rom.*6. rum 6. cùm enarrasset deordinationem appetitus corporis sui à ratione , adiungit : *Quis me liberabit de corpore mortis huius*? subintelligit: Nisi

IESVS,

Iesvs, cuius gratia sum id quod sum.

Hæc autem verba à sanctis Patribus, & concionatoribus, accommodari solent virgini matri, vel Ecclesiæ sponsæ Christi dilectissimæ, passionis ipsius doloris gladio transuerberatæ. Etenim passio Christi Domini: & in mari fuit in Scriptura figurata, & passim in illa mare appellatur. Nam Exod. 14. fuit figurata in mari rubro, per quod filij Israel cum duce suo Moyse *Exod. 14.* sicco pede transierunt. Et Exod. 30. in mari æneo, quod iubente Domino ad purificationem *Exod. 30.* Moyses ædificauit. Insuper & Psalm. 64. in persona Christi Optimi inquit Dauid: *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* Ibique dolores & tribulationes aquarum nomine intelligit: *Intrauerunt aquæ vsque ad animam meam.* Et Canticorum 8. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* *Psalm. 64.* *Cant. 8.*

Illud autem est maximè obseruandum, quòd cùm prophetæ passionem Christi maria & flumina appellent; ipse tamen Christus propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, eandem passionem, paruum calicem, Ioan. 18. à patre *Ioan. 18.* propinatum dicit, illúmque in cruce breuiter consummatum & exhaustum conqueritur. Dolor autem Christi Domini ex sententia D. Tho. *D. Thom.* 3. p. quæst. 46. art. 5. quem doctissimè sequitur Suares ibidem disp. 36. sect. 2. fuit omnium maximus *Suares.* intensiuè, non quidem omnium dolorum, qui esse possunt de potentia Dei absoluta, (nam in eodem Christo potuisset esse maior, si vehementior causa aut læsio adhiberetur) sed eorum, quos homines passi sunt, & ideo non

inuenitur dolor, cui contritio Christi Domini possit comparari. Licèt autem dolor propriè fuerit Christi Domini; vt potè ipsius corpori inflictus, tamen attribuitur Ecclesiæ, tanquam corpori; cùm enim caput torquetur, cætera membra dolent. Tribuitur etiam Virgini matri, quoniam quicquid filius in corpore patiebatur, mater in anima doloris gladio transuerberata sustinebat.

Nun.] *Prophetæ tui viderunt tibi falsa, & stulta; nec aperiebant iniquitatem tuam, vt te ad pænitentiam prouocarent. Viderunt autem tibi assumptiones falsas, & eiectiones.*

ECCE causa morbi insanabilis, quo Synagoga laborabat, medici spirituales potiùs vulnera lenire quàm sanare intendebant. Sic igitur inquit Ieremias: Prophetæ, id est, pseudoprophetæ tui, quia non spiritu Domini, tanquam propheta illius, sed in populi obsequium vaticinabantur. [*Viderunt tibi falsa.*] quia non simpliciter erant videntes, sicut prophetæ Domini, sed ea videre fingebant, quæ tibi placita erant, & ideo inquit; tibi. [*Nec aperiebant iniquitatem tuam,*] vt te non contristarent. Chirurgus expertus vlcus aperit, vt sanies foras irrumpat, ne in vulnere latens corpora corrumpat, & interdū infirmos de periculo admonet, vt timore mortis

mortis faciliùs aſpera medicamenta experiantur. Hoc non curabant pſeudoprophetæ Ieruſalem; nec enim, vt habet Paraphraſtes, reuelauerunt, ſeu publicauerunt vltionem & vindictam, quæ ventura erant ſuper ciuitatem propter peccata illius. Talis fuit, Ieremiæ 28. Ananias, filius Azur, qui tulit catenam de collo Ieremiæ, & confregit eam in conſpectu omnis populi, dicens: Hæc dicit Dominus: *Sic confringam iugum Nabuchodonoſor regis Babylonis poſt duos annos dierum de collo omnium gentium*; quę omnia falſa fuerunt; imò potiùs in pœnam falſi muneris, quod ſibi Pſeudopropheta vſurpauerat, & quia confidere fecit populum in mendacio, idem Ieremias nomine Domini ſententiam mortis illi intimauit, & de facto mortuus eſt Ananias. Paraphraſtes Ierem. 28.

Viderunt autem tibi.] id eſt, fingebant ſe videre aſſumptiones, id eſt, prophetias falſas. Nam per *aſſumptiones* interdum vaticinationes accipiuntur. Etenim Malach. cap. 1. vbi editio vulgata habet: *onus verbi Domini*, habet tranſlatio Septuaginta: *Aſſumptio verbi Domini ſuper Iſraël.* Vel per aſſumptiones poſſumus intelligere fauores, & protectiones diuinas. Etenim vbi in Pſal. 88. nos habemus: *Quia Domini eſt aſſumptio noſtra*, legit Diuus Hieronymus: *Quia à Domino eſt protectio noſtra.* Et Pſal. 26. inquit Dauid: *Pater meus, & mater mea dereliquerunt me, Dominus autẽ aſſumpſit me*, hoc eſt, *Dominus protexit me.* Prophetæ igitur illi falſi populo ſuadebant, Hebræos in tribulationibus à Domino eſſe protegendos, Chaldæos verò eſſe eiiciendos; & ideo addit: *Aſſumptiones & eiectiones.* Quare Rab. Solomô, Malach. 1. Septuaginta. Pſal. 88. D. Hier. Pſalm. 26. Rab. Solomô.

Rab. Dauid. *Rab. Abrah.* *D. Thomas.* lomô, Rab. Dauid, & Rab. Abraham, quos sequitur D. Thomas, per eiectiones intelligunt fugas hostium.

Hoc loco debent vehementer perhorrescere omnes nostri temporis doctores, prædicatores, ac prælati, ne illis imputentur casus & calamitates Ecclesiæ; sunt enim illi Ecclesiarum angeli, quibus incumbit populum increpare, & arguere opportunè & importunè, sicut loquitur *2. ad Tim. 4.* Apostolus 2. ad Timot. 4.

Moyses Exod. 25. Posuerat Moyses, Exod. 25. iussu Dei, in tabernaculo, duos Cherubinos, qui propitiatorium, & seipsos adinuicem, nihil verò aliud intuebãtur. Ad horum exemplar Salomon in templo alios duos posuit Cherubinos, aspicientes templum exterius, stabant enim (inquit Scriptura) erectis pedibus, & facies eorum erant versæ ad exteriorem domum. Eodem modo in Ecclesia Dei duo genera angelorum reperiuntur, hoc est, doctorum, prædicatorum, & prælatorum, qui omnes in Scriptura angeli appellabantur. Alij sunt electi à Domino, & constituti ab eo, ideóque Deum cõtinuò intuentur, eiúsque gloriam conspiciunt, atque seipsos & animarum salutem considerant. Alij sunt, qui ad sedem dignitatis, & prælaturæ humano fauore ascenderunt: hi ad exteriorem domum, per quam ingressi sunt, solùm respiciunt; hoc est, ad principes, quorũ gratia assumpti sunt, eos collaudãdo, more pseudoprophetarũ, Israël iniquitaté excusando, & propriũ munus prædicatoris Apostolici negligẽdo, & fortasse spiritu prophetico, de his quoque iã tunc loquebatur noster Ieremias.

Samech.]

Samech.] *Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam: sibi lauerunt, & mouerunt capita sua super filiam Ierusalem: Hæccine est vrbs, dicentes: perfecti decoris, gaudium vniuersæ terræ?*

SVPERIVS introduxerat propheta Ierusalem vocantem omnes transeuntes per viam ad calamitatem suam contemplandam; modò induxit eosdem transeuntes, alios præ stupore, alios præ dolore; alios denique præ gaudio plandentes manibus. *Plaudere manibus* est gaudium plausu manuum exprimere (quod in scholis appellamus, Lusitanè *patear.*) Ita accipitur Psalm. 46. *Omnes gentes plaudite manibus.* Atque in hoc sensu ex sententia D. Hieronymi exprimit propheta hoc loco gaudium inimicorum, quo de casu Israelitarum lætati sunt, D. Thomas exponit hæc verba de amicis Ierosolymæ condolentibus: Manus enim ad caput more dolentium attollebant. Possunt quoque hæc verba intelligi de omnibus transeuntibus per viam, vt volunt Rab. Ioseph, & Rab. Solomô, quibus consentit D. Thomas; transeuntes enim, aspicientes machinam illam sublimem, solo æquatam, tollebant manus præ admiratione, dicentes: *Hæccine est vrbs perfecti decoris?* Rupertus admirabundus exclamat hoc loco: ô quanta mutatio rerum! Vrbs perfecti decoris, vniuersæ

Psalm. 46.
D. Hieron.
D. Thomas
Rab. Ioseph.
Rab. Solomô
D. Thom.
Rupertus.

„ terræ gaudium, cui conuehebatur aurũ, cui non „ erat alicuius pretij argentum, quia tanta copia „ illius erat, quanta lapidum! Hæccine illa est! Iure igitur plauserunt transeuntes manibus, & sibi lauerunt. *Sibilare* proprium est serpentum. Vnde inquit Quintus Curtius, in Epistola Alexandri ad Aristotelem: *Sibilabat tota regio serpentis vocibus*. Et in Elegia, quæ Ouidio tribuitur, qua cãtus animalium describuntur, dicitur.

Quint. Curt. in Epistol. Alex. ad Arist.

Ecce venenosus serpendo sibilat anguis.

Sibilare verò, & mouere caput, in homine sunt signa iocantis, & ridentis. Ita 3. Reg. ca. 9. habetur: *Omnes, qui transierit per eã, stupebit, & sibilabit.* Idem prorsus significat mouere caput Psalm. 21. *Omnes videntes me deriserunt me, locuti sunt labiis, & mouerunt caput.* Et Psalm. 43. *Posuisti nos in similitudinem gentibus; commotionem capitis in populis.* Per similitudinem autem prouerbium, seu fabula intelligitur. Erat enim Ierusalem in prouerbium confabulantibus. Sic Psalm. 78. *Facti sumus opprobrium vicinis nostris: subsannatio & illusio his qui in circuitu nostro sunt.* Marcus cap. 15. narrat, quòd prætereuntes blasphemabant crucifixum Dominum, mouentes capita sua, & dicentes, *Vah, qui destruis templum Dei?* in signum ludibrij, & ioci; Vel præ gaudio, quia Dominum gloriæ inter latrones crucifixum aspiciebant. In pœnam tamen huius improperij, meritò eadem ciuitas, in qua Dominus IESVS fuit derisus, postea destructa à Tito sibilatur, & deridetur ab omnibus.

3. Reg. cap. 9.
Psalm. 21.
Psalm. 43.
Psalm. 78.
Marcus c. 15.

Phe.]

Phe.] *Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui: sibilauerunt, & fremuerunt dentibus, & dixerunt: deuorabimus, en ista est dies, quam expectabamus, inuenimus, vidimus.*

POTERAT Ierusalem dicere cum Psalmista, Psalm. 21. *Exercitus Chaldæorum aperuit super me os suum, sicut leo rapiens, & rugiens.* Sibilauerũt autem, serpentino more; & fremuerunt dentibus, more aprorum; qui irritati, dentibus frendent, & strident, iuxta quemdam versum Elegiæ citatæ. Psalm. 21.

At lupus ipse vlulat, frendet agrestis aper.

Talem pingebat Iob ca. 16. hostem furentem in se cùm inquit: *Collegit furorem suum in me; & comminans mihi, infremuit contra me dentibus, hostis meus terribilibus oculis me intuitus est.* [*Deuorabimus.*] more leonum. In Hebræo est: *deuorauimus* in præterito; idest: Iam dilaniauimus, & destruximus; seu, vt explicat Hector Pintus: *Deuoremus*, in imperatiuo; & penitus destruamus. Deuorare autem populum, est illum destruere. Psalm. 13. *Qui operantur iniquitatem, qui deuorant plebem meam, sicut escam panis.* [*En ista est dies, quam expectabamus, inuenimus, vidimus.*] Simili modo introducit Dauid Psalm. 43. hostes illius insultantes, & dicentes: *Euge, euge; viderunt oculi*

Iob cap. 16.

Hector Pintus.

Psalm. 13.

Psalm. 43.

Virgil. 9. *nostri.* Virgilius quoque Æneados 9. introducit Irim de cœlo loquentem cum Turno, in hunc modum:

Turne, quod optanti Diuûm promittere nemo
Auderet, voluenda dies en attulit vltro.

Ain.] *Fecit Dominus, quæ cogitauit; compleuit sermonem suum, quem præceperat à diebus antiquis: destruxit, & non pepercit, & lætificauit super te inimicum, & exaltauit cornu hostium tuorum.*

MVLTIS modis irritauerat Synagoga diuinam iustitiam ad vindictam, quam diuina bonitas quodammodo detinebat, tribuens locum pœnitentiæ: at scelerum multitudo suo quasi iure brachium iustitiæ in vltionem prouocauit, & extendit. Quare, quæ Deus altitudine & eminentia suæ scientiæ, omnes rerum circumstantias, temporísque differentias ambientis cogitauerat, opere tandem compleuit. Cogitauerat superiùs dissipare murum filiæ Sion, nisi illa ad pœnitentiam conuerteretur; hoc fecit, murum cum antemurali pariter dissipans. Nota verbum *cogitauerat* quasi Deus ex improuiso ita correptus neminem percutiat, sed cunctabundus peccatores diu expectet, tribuens
" spatium pœnitentiæ. Non rex Babylonis, in-
" quit Rupertus, hæc fecit tibi, ô Ierusalem, sed
" Dominus ipse, qui diu cogitauit. [*Compleuit sermonem,*

monem, quem præceperat à diebus antiquis.] id est à diebus, & temporibus prophetarum; præcipuè à diebus Moysis, vt notarunt Lyra, & Paschasius, comminantis iussu Dei terribilem pœnam populo Iudæorum ad idololatriam declinanti. Exod. enim 32. Moysi, pro populo roganti, dictum est à Domino: *Demittam iuxta verbum tuum; veruntamen in die vltionis visitabo hoc peccatum.* *Lyra.* *Paschasius.*

Quæres tamen, si Deus precibus Moysis demisit peccatum idololatriæ populo, quomodo illud adhuc ad diem iudicij reseruat? Cui quæstioni facilè respondetur, si dicamus, fæcem huius peccati non fuisse omnino extinctam, & exinanitam; nec Iudęos purè pœnituisse. Vnde opinatur Rab. Solomô nullam vltionem venire super Israel, in qua non existat aliquid vltionis iniquitatis commissæ in adoratione vituli: Quare fecit Dominus, quæ cogitauit; compleuit sermonem suum circa plagas, quas lege & prophetis prædixerat. *Rab. Solomô.*

Si rursus quæras, quomodo potest stare, quòd compleantur verba Domini, quæ Deus æterna scientia cogitauerat, & præceperat circa pœnam peccatoris, cum eo, quòd peccator possit pro sua innata libertate pœnitendo comminatas plagas deuitare. Respondeo, quòd in sensu diuiso, non obstante præscientia Dei potest peccator pœnitere, & sic diuinam sententiam effugere; licèt in sensu composito non possit non diuina scientia cum decreto sententiæ adimpleri. Etenim Deus per scientiam suam mediam, quam nouiores Theologi in-

ter naturalem & & liberam inuenerunt, vidit, quid facturus esset populus Israel in tali vel tali rerum ordine constitutus, cum hac vel illa circumstantia, cum tali vel tali auxilio, penetrando scilicet libertatem voluntatis creatæ, vt infinitus penetrator: penetrauit etiam suam diuinam voluntatem, in qua post actum liberum vidit, in quonam ordine, & quibus cum auxiliis ponendus erat idem populus Israel. Atque ita penetrata Iudæorum malitia & voluntate futura, quæ in illo rerum ordine, in quo à Deo Iudæi erant collocandi; & cum datis auxiliis ad pœnitentiam non excitaretur; certò, & infallibiliter cogitatio diuina, & prædictio diuina adimpletur; non quòd illa necessitatem libero imponat arbitrio, sed quia liberè arbitrium humanum se determinabit in illam partem, quam à diebus antiquis infinitus penetrator nouerat, & à cuius libera determinatione iustissimè pœna prædicta emanauit. Pœna autem temporalis, est desolatio Ierusalem: insuper & exultatio, qua Chaldæi, & postea Romani, infestissimi hostes Iudęorũ, de illis triũphabant.

Sade.] *Clamauit cor eorum ad Dominum super muros filiæ Sion; deduc quasi torrentem lacrymas per diem, & noctem: non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.*

D. *Hieron.* D. *Dionys.* *Paschasius.* D. *Thomas.*

DIVVS Hieronymus, D. Dionysius, Paschasius, D. Thomas: item Glossa interlinearis, intel

intelligunt hæc verba de Chaldæis petulanter Domino blaſphemantibus, ſibíque gloriam victoriæ attribuentibus: atque, clamare ad Dominum, aſſerunt idem eſſe quod clamare contra Dominum. Verumtamen, cùm clamare ad Dominum, frequentiùs in Scriptura ſacra in bonã partem accipiatur; potiùs crediderim hæc verba eſſe intelligenda de Iudæis poſitis in tribulatione, & murorum deſolationem conſiderantibus, atq; opem & auxilium implorantibus. Quem explicandi modũ ſequitur quoque idem Lyra, & nouiſſimè Figuerius; & eſt expreſſa expoſitio Paraphraſtis; habet enim: *Clamauit cor eorum in conſpectu Domini, vt miſereretur ipſorum.* Rupertus, per cor clamantium ad Dominum, intelligit cor Moyſis, & prophetarum; illi enim tamquam ſpeculatores ſuper muros filiæ Sion dati ſunt ad annunciandam ſalutem. Tu autem, inquit ille, ô filia Sion, quia clamorem illorũ non audiſti, ecce mortua es in iniquitate tua. Nota verò, quòd non dixit: *Clamauit os eorum, ſed cor eorum*, quia ſcilicet non negligenter clamauerunt, non more ſalutantium verba dederunt, ſed volenti animo, toto cordis affectu, profundo charitatis ſenſu clamauerunt, annunciauerunt, prophetauerunt, adiuuare volentes, vt nequaquam dormientem comprehenderet Ieruſalem velociter occurrentis periculi malum. Si autem quæras iuxta hunc dicendi modum; quare non dicatur cor clamaſſe ad Sion, ſed ad Dominum? Reſpondetur, cum clamore annunciationis, quo excitare volebant Sion, coniunctum quoque eſſe

Gloſſ. interl.

Lyra.

Figuerius.

Rupertus.

clamorem ad Dominum, quem testem suarum exhortationum faciebant.

Deduc quasi torrentem lacrymas per diem ac noctem.] Secum ipse videtur loqui propheta quasi dicat: ô Ieremias, qui talia intueris, talia amore patriæ exardescens contemplaris, ab oculis tuis tamquam à perenni lacrymarum flumina continuò decurrant, vt interior dolor in signum pœnitentiæ foras irrumpat. Simi-
Psalm. 6. li metaphora vsus fuerat Dauid Psalm. 6. *Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.* Vel loquitur propheta cum Ierusalem, dicens: ô infelix ciuitas, deduc quasi torrentem lacrymas per diem ac noctem, quo restinguere valeas ignem iræ & furo-
Auendannus. ris Domini. Auendannus tract. 17. in Psalm. *Bea-*
Psal. 29. *ti immaculati*, ait; quòd sicut cùm Psal. 29. dicitur: *Ad vesperum demorabitur fletus*, significatur, quòd non erit ille diuturnus, Ita hoc loco quãdo propheta dicit: *Deduc quasi torrentem lacrymas per diẽ ac noctem*, vult perennem esse lacrymarum ef-
Deut. 28. fusionem. Ita quoque Deut. 28. dicitur: *Timebis nocte, & die, & non credes vitæ tuæ. Manè dices:* Quis *mihi det vesperum? Et vesperè: Quis mihi det manè?* Per vesperè autem & manè intelli-
Genes. 1. gitur dies, ac nox; iuxta illud Genes. 1. *Factum est vesperè & manè dies vnus.* Die ergo ac nocte, hoc est, perpetuò, vult propheta, quòd Ierusalem calamitatem suam, & peccatum tamquam causam ipsius calamitatis defleat. Aliqui speculatores radicis Hebrææ, non agnoscentes in Hebræo particulam *super* dicunt, prophetam

conuer

conuertere orationem ad ipſos muros Ieruſalem, eóſque per proſopopeiam, fictione perſonæ, ad lacrymas prouocare, ac ſi dicat: ô muri Ieruſalem, ſiquidem ciues tui ſunt ſaxis & lapidibus duriores, vos ipſi flete! lapides murorum in fontes conuertimini! Emolliantur lapides, & ſaxa, ſiquidem Iudæorum corda non emolliuntur, doloribus & tribulationibus tamdiu attrita.

Neque taceat pupilla oculi tui.] Rectè vtitur verbo *taceat*. Namque, vt inquit Ambroſius, lacrymæ tacitæ quodammodo preces ſunt, & ideo, quod lacrymis fleri ſolet, verbis excuſari non ſolet. Maior enim eſt efficacia, & vis eloquentiæ lacrymarum, quàm verborum. Atque ita videmus, quòd nec Magdalena nec Petrus in ſua conuerſione quidquam locuti ſunt, quia illa lacrymis rigauit pedes Domini, iſte verò egreſſus foràs fleuit amarè. Paulus verò, quia in conuerſione lacrymari non potuit, quia clauſi ſunt oculi illius, clamauit, *Domine quid me vis facere?* Petrus autem, & Magdalena, quia loquebantur lacrymis, verbis tacebant. Quoniam igitur propheta nouerat ab efficacia lacrymarum multis titulis efficaciam verborum ſuperari; ideo non dicit: *Non taceat os tuum*, ſed, *Non taceat pupilla oculi tui.*

Coph.] *Conſurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum: effunde ſicut aquam cor tuum ante conſpectum*

Domini:

Domini: leua ad eum manus tuas pro anima paruulorum tuorum, qui defecerunt fame in capite omnium compitorum.

INVITAT hoc loco propheta Ierusalem, vt de puluere peccatorum surgat, & arripiat arma orationum, vigiliarum, & lacrymarum, quibus Deum iratum ad pietatem flectere possit. Iubet autem, vt Ierusalem consurgat in nocte ad laudandum Dominum, quia nocturnum silentium accommodatissimum est ad laudes Domini decantandas; Pacati enim tunc sunt sensus, & mens auidiùs fertur in creatorem. Vnde Dauid, in suo Psalterio, non cessat commendare orationes nocturnas, quas ad Deum fundebat,
Psalm.78. Psal.78. *Meditatus sum nocte cum corde meo.*
Psalm.118. Et Psal. 118. *Memor fui nocte nominis tui Domine.* Et iterum: *Media nocte surgebam ad confitendum*
Isai.26. *tibi.* Et Isaias cap.26. inquit, *Anima mea desiderauit*
Cantic.3. *te in nocte.* Et sponsa Cant.3. *In lectulo suo quærebat: quem diligebat anima illius.* Et Christus Do-
Luca, ca.6. minus Lucæ cap.6. Erat pernoctans in oratione Dei, vt cùm dies factus esset, duodecim Apostolos velut partus nocturnæ orationis eligeret.
Lucas, 22. Nocte quoque, vt inquit idem Lucas capit. 22. ibat secundùm consuetudinem in montem oliuarum, vbi passionem suam, nostrámque salutem inchoauit.

In principio vigiliarum.] Iuxta consuetudinem
Plinius lib. 5. cap.22. veterum, qui solebant noctem in quatuor vigilias diuidere. Vnde Plinius lib. 5. cap. 22. ait:

Caspij,

Caspij montis tantam esse altitudinem, vt ex eo quarta vigilia per tenebras sol oriens aspiciatur. Et Christus Dominus Matth. 14. ad discipulos ægrè remigantes inquit: *veni quarta vigilia.* Per has ergo quatuor vigilias vigiles ciuitatis distribuebantur, quemadmodum modò fit apud nauigantes, vel præliantes. Et de his loquebatur sponsa cap. 3. dum inquit: *inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem.* Cùm igitur hîc propheta monet, vt Ierusalem surgat in principio vigiliarum, inquit Lyra, quòd vult, vt surgat celeriter & expeditè, ne, vt ait Glossa interlinearis, in principio somnus obrepat deceptionis.

Matth. 14.

Sponsa c. 3.

Glos. interl.

Effundere sicut aquam cor, idem est quod orare & obsecrare, iuxta illud Psal. 61. *Effundite coram illo corda vestra.* Vbi Augustinus in hunc modum: *Effundite deprecando, confitendo, & sperando.* Et 1. Regum cap. 1. ait Anna; *Effudi animam meam in conspectu Domini.* Ioannes Osorius tomo 2. suarum concionũ sermone dominicæ quintæ post Pascha ita habet: Rectè dixit propheta, effunde sicut aquã cor tuum, quia super omnes liquores effunditur aqua è vase, nec aliquid illius remanet in eo. Licèt ergo Deus omnia tua nouerit, & videat, tamen illa à te audiri desiderat, & vt ea ei loquaris tanquam ad intimum & familiarem amicum, in omnibus ab eo petens auxilium, & consilium.

Psal. 61.

August.

1. Reg. c. 1.

Ioan. Osorius

Leuare manus ad Dominũ est dispositio orantium, Exod. 17. *Cùm leuaret Moyses manus, vincebat Israël.* Et Dauid Psal. 62. inquit: *in nomine tuo leuabo manus meas.* Et Psal. 142. *Expandi manus meas ad te.* Et D. Paulus 1. ad Timot. cap. 2. ait:

Exod. 17.

Psal. 62.

Psal. 142.

Paul. ad Tim. ca. 2.

Volo vos orare in omni loco, leuantes puras manus, sine Rupertus. *ira, & disceptatione.* Rupertus, per eleuationem manuum intelligit porrectionem eleemosynarum, inquit enim ille, *Memento interea leuare ad Deum manus tuas.* Parum quippe fortitudinis est in laude, in vigiliis, in lacrymarum effusione, nisi porrigendo eleemosynam, & cætera faciendo pietatis opera, leues ad Deum & cœlum manus tuas.

Pro anima paruulorum tuorum.] Difficilis planè est expositio huius loci. Lyra. Lyra dupliciter illum intelligit. Primo modo, vt animæ paruulorum recipiantur in sinum Abrahæ, quam Hector Pint. expositionem non negligit Hector Pintus. Illa tamen mihi placere non potest. Nam pro animabus paruulorum orare non licet, cùm non baptizatis sinus Abrahæ, baptizatis verò regnũ cœlorum de lege debeatur. Vnde Ecclesia Catholica in exequiis paruulorum, qui cum baptismo discesserunt, non verbis deprecariis, vt in officio defunctorum, sed hymnis, & canticis collaudantibus Dominum, vtitur. Secundo modo, inquit Lyra, sunt accipienda illa verba, vt Lyra. deprecetur propheta, quod mors illorum innocentum in oratione veniat in mentem Domini. Quæ expositio magis accommodata videtur. Ego tamen credo, *animam* hoc loco intelligendam esse pro vita, quasi propheta moneat Ierusalem, vt oret pro vita paruulorum, ne fame pereant. Quæ expositio placet etiam Ruperto.

Si autem obiicias non bene cohærere hanc expositionem cum sequentibus verbis: [*Qui fame defecerunt.*] Respõdeo, in radice Hebræa legi:

Pro

Pro anima paruulorum deficientium fame;& Glossa interlinearis habet: *Pro anima paruulorum, qui fame pereunt*.Et Paraphrastes; *Pro anima paruulorum,qui fame arescunt*.Septuaginta verò:*Pro anima eorum, qui fame dissoluuntur*. Quare patet, hæc verba cum antecedentibus optimè quadrare. *Paraphrastes* *Septuaginta.*

In capite omnium compitorum.] *Compita* appellatur locus vbi plures viæ conueniunt, quasi vnum locum competentes,quod Lusitanè dicimus: *Encruzilhadas*. Aliqui secundùm radicem Hebræam, legunt: *In capute omnium platearum.*] *nas entradas das ruas*, quas paruuli rabida fame agitati cibum conquærentes petebant; quo tamen deficiente fame arescentes exhalabant animas.

Res.] *Vide Domine, & considera, quem vindemiaueris ita:ergóne comedent mulieres fructum suum, paruulos ad mensuram palmæ?si occiditur.in sanctuario Domini sacerdos,& propheta?*

CONVERTIT propheta orationem ad Dominum,humano more eum prouocãs, vt calamitatem & miseriam ipsius consideret, quasi dicat:Quare faciem tuam auertis,& obliuisceris inopiæ nostræ,& tribulationis nostræ?si oculos misericordiæ tuæ conuerteris in hanc

miseram

miseram ciuitatem; absque dubio tactus dolore cordis intrinsecus satis pœnarum sumptũ existimabis. Vide igitur ô Domine, quem populum, vel quem locũ vindemiaueris, neque enim populus est longinquus, & locus ignotus, sed gens tua, & ciuitas tua sancta. [*Ergo ne comedent mulieres fructum suum.*] sustinebunt viscera misericordiæ tuæ, quòd mulieres infantulos vnius palmi comedant? Hoc euenisse 4. Regum cap. 6. obseruandum est cum Diuo Hieronymo: in obsidione enim Samariæ mulier ad Ioram Regem clamauit pro occisione filij sui, quem cum vicina sua comederat, petens, vt ipsius filius similiter ad comestionem ambabus daretur. Sic quoque in captiuitate vltima Iudæorum per Romanos facta sub principibus Tito & Vespasiano, mulier quædam, Maria nomine, filia Eleazari, fame oppressa, filium lactantem interfecit, partémque vnam coquens comedit, aliámque in futurum ad comedendum reseruauit, vt ex Iosepho iam superiùs retulimus.

4. Reg. cap. 6. *D. Hieron.* *Iosephus.*

Dionys. *Lyra.* *Ad mensuram palmæ.*] Exponit Dionysius; id est, comedendo certam mensuram quotidie (scilicet vnius palmi.) Aliter Lyra; ait enim, quòd mulieres prægnãtes, præ angustiis & doloribus pariebant ante tempus fœtus imperfectos, & sic statim illi moriebantur, & à matribus paulatim ad mensuram palmæ, seu palmi comedebantur. [*Si occiditur in Sanctuario sacerdos, & propheta.*] Quis talia vnquam audiuit? In templo Dei, quod solet esse azylum, & turris refugij, pro sanctitate loci, ipsi sacerdotes mactantur. Paraphrastes, Rab. Solomô, & Rab. D. Ioseph per

Paraphr. *Rab. Solomô.* *Rab. D. Ios.*

facer

ſacerdotes occiſos intelligunt, Zachariã, filium Barachiæ, vt videre eſt 2. Paralip. quem Chriſtus Dominus, Matthæi 13. *Occiſum intra templum & altare deplorat.* Dauid quoque Pſal. 77. hanc ſacerdotum occiſionem lamẽtabatur; *Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt.*

2. Paralip. Matth. 13. Dauid, Pſal. 77.

Sacerdotes & prophetæ ſemper pro dignitate ſua cum timore & reuerentia: vel apud exteras nationes excepti ſunt, Hinc eſt, vt eleganter notarunt D. Hieronymus, & Theophylactus. quòd nautæ intelligentes Ionam eſſe prophetam Domini cap. 1. etiam cùm ipſe ſententiam mortis tuliſſet contra ſe; non auderent illum mittere in mare, ſuper illos intumeſcens, ſed remigabant, vt reuerterentur ad aridã, magis volentes perire, quàm perdere virum, quem credebãt eſſe cultorẽ Domini. Et meritò, atque optimo iure; inquit namq; Dominus Pſal. 74. *Nolite tangere Chriſtos meos, & in prophetis meis nolite malignari.* Seu, vt alij vertunt, ex radice Hebræa: *Ne tangite in Chriſtis meis, & in prophetis meis ne malefacite.* Eſt autem ſermo ad literã de patriarchis, & prophetis, vt patet ex verſibus antecedentibus eiuſdem Pſalmi. Non ſuſtinet Dominus Chriſtos ſuos tangi, hoc eſt, vel minima iniuria affici; non enim, vt in eodem Pſal. dicitur, *reliquit hominem nocere eis, & corripuit pro eis reges,* vt patet in Pharaone rege Ægyptiorum, Geneſ. 12. quem plagis maximè flagellauit, & domum eius propter Saram vxorem Abraham. Eandem ob cauſam Dauid noluit, Saulem peccatorem, mortéque digniſſimum, obtruncare: quin potiùs quod oram chlamydis eius præſcidiſſet,

D. Hier. Theophylact.

Pſal. 74.

Geneſ. 12.

pœnituit

pœnituit cor ipſius vehementer: quia ſcilicet Saul, Chriſtus Domini erat, id eſt, vnctus & cõſecratus à Domino, vt pulchrè obſeruat hunc locum D. Gregorius 3. p. paſtoralis curæ, admonitione quinta per Saulem, malos rectores, per Dauidem, bonos ſubditos intelligens. Nec verò in cõtrariam partem quemquam moueat exemplum Diui Pauli Actorum 23. cùm in concilio Iudæorum percuſſus in ore iuſſu Ananiæ ſummi ſacerdotis reſpondit: *Percutiet te Deus, paries dealbate.* Nam D. Paulus ignorauit Ananiam eſſe ſummum ſacerdotem, vt colligitur ex eodem capite. Cùm enim ei dictum fuiſſet: *Sacerdotem Dei maledicis?* Reſpondit: *Neſciebam fratres, quia princeps eſt ſacerdotum:* ſcriptum eſt enim: *Principi populi tui non maledices.* Notat autẽ D. Cyprian. Epiſt. ad Corneliũ in hanc ſententiã, quòd cùm crucifixo Domino ſacerdotes illi iã ſacrilegi eſſe cœpiſſent, nec iam quidquã de ſacerdotali honore & authoritate retinerent; tamen ipſum inane nomen ſacerdotij & vmbrã veneratus eſt Paulus. Denique quanto cum honore tractandi ſint ſacerdotes, nihil magis commendat, quàm exemplum Chriſti Domini, qui cùm tempore paſſionis alapam accepiſſet à ſeruo Pontificis, & ei diceretur: *Sic reſpondes pontifici?* Videns, quòd prætextu irreuerentiæ in pontificem alapa ſibi infligebatur, inquit: *Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo.* Non enim tam de ictu conquerebatur Dominus IESVS, quàm timebat, ne aliquis ſibi perſuaderet contumelioſè ab ipſo fuiſſe reſponſum pontifici. Quæ cùm ita ſint, iuſtiſſimo dolore lacrymans conqueritur noſter

D. Gregor.

D. Paulus Actor. 23.

D. Cyprianus

noster Ieremias in ipso sanctuario Domini occisos fuisse sacerdotes, & prophetas, quos vbique decet honor, reuerentia, & sanctitudo.

Sin.] *Iacuerunt in terra foris puer, & senex: virgines meæ, & iuuenes mei ceciderunt in gladio, interfecisti in die furoris tui: percussisti; nec misertus es.*

PARAPHRASTES ita habet: Paruuli, & senes, qui soliti erant dormire super culcitras de molli lana, & in lectis eburneis, cubuerunt super terram platearum. Potest etiam, & fortè melius, intelligi hic locus de illis qui per plateas ciuitatis insepulti iacebant.

Vt autem agnoscatur quàm grauis ærumna fuerit Hebræis, carere sepultura, sciendum est, innatam semper omnibus nationibus fuisse curam sepeliendi cadauera defunctorum: quod satis sepulchrales machinę testantur. Vnde poëtæ, & præcipuè Virgilius, 6. Æneados, fingebant animas, quarum corpora carebant sepultura, non quiescere in alia vita, nec beatis sedibus apud Elyzios campos potiri, donec sepulturæ honore decorarentur. Nec modò gentiles, verùm etiam sancti patriarchæ fuerunt valde solliciti in humandis cadaueribus suorum. Abraham enim Genes. 23. quadringentis siclis argenti probatæ monetæ publicè emit speluncam, in qua

Virgil. 6. Æneadum.

Gen. 23.

L

qua ſepeliretur Sara, vxor illius. Et ibi quoque ſepultus eſt Iſaac, & Rebbeca. Et Iacob, moriens in Ægypto, mandauit cadauer ſuum in illam ſpeluncam aſportandum, vbi & Lia ſepulta quoque eſt. Ioſeph etiam moriens in Ægypto, iuſſit oſſa ipſius in terram promiſſionis aſportari, quod Moyſes viuens, diligenter effecit, & poſtea ſepeliuit illa in Sichem, Ioſue, vt ex cap. vlt. ipſius libri colligitur. *Ioſue vlt.* E contrario autem in Scriptura ſacra datur in pœnam carere ſepultura. Ieremiæ 22. de rege Ioachim dicitur: *Ierem. 22.* *Sepultura aſini ſepelietur, putrefactus, & proiectus extra portas ciuitatis.* Et cap. 16. loquens de populo ait: *Cap. 16.* *Non plangentur, nec ſepelientur, & erit cadauer eorum in eſcam volatilibus cœli; & beſtiis terræ.* Et 3. Regum cap. 13. dicitur prophetæ non obedienti voci Domini: *3. Reg. c. 13.* *Non inferetur cadauer tuum in ſepulchrum patrum tuorum.* Valerius Maximus narrat, quòd ſuo tempore virgines, quæ ſe ſuſpendebant, in pœnam tanti ſceleris non ſepeliebantur, ſed nudæ in plateas proiiciebantur. *Valerius Maximus.* Et apud nos inſignes latrones in perpetuum ſuſpenduntur in furcis, licèt iam modo regis clementia, & facultate à miniſtris miſericordiæ in anniuerſario defunctorum publica proceſſione honorificè eorum oſſa in ſepulturam Eccleſiaſticam aſportentur.

Laudantur quoque in Scriptura ſacra omnes viri, qui religiosè curauerunt ſepelire corpora mortuorum. Thobiæ 12. inquit angelus Domini: *Thob. 12.* *Quando ſepeliebas mortuos, ego obtuli orationem Deo.* Et 2. Reg. cap. 2. laudat vehementer Dauid ſepelientes corpus Saul, dicens: *2. Reg. cap. 2.* *Benedicti vos à Domino,*

Domino, quia fecistis misericordiam cum Domino vestro Saul, & sepelistis eum. Et eodem libro cap. 22. postquam Dauid crucifigi iussit septem filios Saul propter mortem Gabaonitarum, eorum cadauera cum ossibus ipsius Saul honorificè in sepulchro patrum suorum sepeliri fecit. In Euangelio quidem commendantur ab Euangelistis nobiles illi viri Nicodemus & Iosephus ab Arimathea, quòd corpus Domini, è cruce depositum, sindone inuolutum in sepulchro nouo honorificè sepelirent. Et Matthæi 27. pretio sanguinis Christi consilio inito emerunt Iudæi agrum figuli in sepulturam peregrinorum. Tam misericors enim fuit Dominus IESVS, vt sanguinem suum: imò & se ipsum ad misericordię opera, vtpotè peregrinorum sepulturam vendi pateretur. Et Matthæi 26. inquit Christus Dominus: *Vbicumque prædicatum fuerit Euangelium, in toto mundo,* narrandum in memoriam Magdalenæ, quod ipsa fecit, quando misit vnguentum in caput Domini ad sepeliendum, seu, vt inquit Marcus cap. 19. *Vnxit corpus illius in sepulturam.* Apud nos verò Catholici in Ecclesia sepeliuntur in monumentis quasi monẽtibus mentem de morte imminente. Et hæretici & schismatici in pœnam delictorum, sepultura Ecclesiastica priuantur. Vnde ius sepulturæ est spirituale, quod proinde absque simonia vendi non potest, vt constat ex cap. *Abolenda, de sepulturis*, & cap. *Non satis*, & cap. *Cùm in Ecclesia*, ibidem. Quibus capitibus laborant doctores in excusando Abraham, de simonia, in emptione sepulturæ Saræ, dicentes illum non sepulturam,

Eod. lib. c. 22.

Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19.

Matth. 27.

Matth. 26.

Marc. 19.

Cap. Abol. de sepult. & cap. Non satis. Cap. In Ecclesia.

ſed agrum profanum, in quo poſtea aperta eſt ſepultura, emiſſe. Imò & lege ciuili cautum eſt, ne locus, in quo corpora ſepeliuntur, profanetur, ſed vt religioſus habeatur. l. *Quamquam.* ff. *de aqua pluuia.* vbi dicitur, quòd, *qui ſepulchrum in ſuo fundo ædificauit, non eſt vlteriùs dominus terræ:* vnde infert Acurſius, *quòd ſtando in lege ciuili nec vendi poteſt.*

l. Quanquã. ff. de aqua pluuia.

Acurſ.

Cum igitur honos ſepulturæ apud omnes nationes ſemper fuerit magnæ æſtimationis, cùm vel ſancti Patriarchæ illum procurauerint; cùm carere ſepultura, ſit atrox pœna, cùm procurare ſepulturam ſit miſericordiæ opus eximium, meritò propheta luget cadauera Hebræorum inſepulta iacere canibus, & auibus cœli in prædam. Sic mater Euryali apud Virgilium lib. 9. Æneados, lamentans mortem filij, ait:

lib. 9. Ænead.

— *Canibus data præda Latinis*
Alitibúſque iaces.

Virgines meæ, & iuuenes mei ceciderunt in gladio.] Hæc ſæpiùs inculcat dolore cordis agitatus. Idem ſimiliter lugebat Dauid, Pſalm. 77. *Iuuenes eorum comedit ignis, virgines eorum non ſunt lamentatæ, ſacerdotes in gladio ceciderunt, & viduæ eorum non plorabantur.*

Pſalm 77.

Thau.] *Vocaſti quaſi ad diem ſolemnem, qui terrerent me de circuitu, & non fuit in die furoris Domini,*

qui

qui effugeret, & relinqueretur: quos educaui, & enutriui, inimicus meus consumpsit eos.

CONCLVDIT tandem propheta hoc caput his verbis nomine Ierosolymę, quorum hic est sensus: Inimicos vocasti contra me in prælium; illi autem in mei desolationem agminatim confluebant, quasi ad diem solemnem (dicimus Lusitanè *parece que vim haô ganbar perdôis*) tanto scilicet odio excandescebant omnes gentes in Hebræos.

Qui terrerent me in circuitu.] Potiùs terrore quàm armis videtur Deus debellasse Iudæos natura sua pusillanimes. *In circuitu*] id est, in obsidione; vel quia vndequaque gentium multitudo confluebat ad desolationem Ierusalem, quasi ad diem festum celebrandum, in quo victimæ mactari solent. Deus enim cùm impios occidit, vtitur eis tamquam victima & sacrificio in honorem suum, quo placatur ira eius, & satisfit iustitiæ diuinæ, vt eleganter quoque notauit Figuerius iuxta illud Isaiæ 34. *Victima enim Domini in Bosra, & interfectio magna in terra Edom*[*In circuitu*] quoque vt notat Glossa interlinearis, quia in circuitu impij ambulant; & ne effugere possint, vndequaque circumsepti: Isaiæ quoque cap. 29. inquit Dominus: *Circumdabo quasi sphæram in circuitu tuo.*

Figuerius. Isai. 34.

Gloss. interl.

Isaia 29.

Quos educaui & enutriui.] Infantiā statim deliciis soluebant Iudæi, nutriendo filios molli

educatione, quam indulgentiam vocamus, quæ neruos omnes mentis & corporis frangit. *Priùs enim* (vt verbis Quintiliani vtar) *palatum; quàm mores instruebant.* Igitur inquit Ierosolyma: Quos in lecticis nutriebam, quos sindonibus pretiosis inuoluebam, quos deliciis regiis educabam, deuastauit hostis meus Chaldæus.

Quintil.

CAPVT



CAPVT TERTIVM.

Aleph.] *Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis eius.*

Aleph.] *Me minauit, & adduxit in tenebras, & non in lucem.*

Aleph.] *Tantùm in me vertit, & conuertit manum suam tota die.*



HOc capite 3. videmus id, quod exordio huius operis in obseruatione literarum alphabeticarum, quibus versus inchoantur, annotauimus, videlicet cùm 1. 2. ac 4. capite vnaquæque litera suum versum suis distinctis comis inchoet: Tertio tamen hoc capite vnaquæq; litera alphabeti Hebraici, eadémque numero tribus versibus; vel comis initio cuiusuis affixa, illis exordium dat. In illis enim capitibus, vt inquit Diuus Hieronymus, veluti sapphico metro carmina conscripta sunt. Tertium verò caput trimetro scriptum est. Huius rei causam vltra illam, quam initio assignauimus, reddit Rupertus hoc loco, videlicet quod Ieremiæ

D. Hieron.

Rupertus.

Ieremiæ tripla lamentandi ratio existebat. Prima, quòd ipse eque, vt cæteri homines, in Adam captiuatus est. Secunda, quòd se viuente, se vidente, quanuis hostium gratia reseruato, patria combusta, & gens sua captiuata est. Tertia denique, quòd propriam fragilitatem nouerat propriis calamitatibus & omnimodis, inter suos & à suis affectus.

De argumento autem huius capitis varia est expositorum differentia (nam huc vsque idem argumentum, eandémque lamentationum materiam agnouimus.) Diuus enim Hieronymus, *D. Hier.* inquit, quòd hæc pars operis primùm calamitatem gentis Iudæorum, seu potiùs humani generis miseriam deflendo pronuntiat: deinde sacramentum dominicæ incarnationis, ac passionis manifestè exprimit, vbi Iudæorum persecutio, & innocentissimi pœna ac mors describitur. Quæ est etiam opinio Paschasij, ait enim, quòd *Paschasius.* in funebri totius corporis lamentatione profunda de Christo, & eius corpore, aperiuntur mysteria, & nunc ad Synagogam, nunc ad Ecclesiam, deinde ad Christi passionem luctuosa discurrit oratio: nunc de Christo, & eius corpore agitur, nunc mortalitas permiscetur, vt corporis nostri durities in lacrymas dissoluatur. *D. Thomas.* Diuus Thomas, quem sequitur Figuerius, ait, prophetam hoc loco loqui in persona propria, non murmurando, sed humano affectu dolorem suum exprimendo.

Rupertus. Gelibertus. Paschasius. Rupertus, Gelibertus, imò & idē Paschasius, asserūt, vtrúmque hoc cap. deplorari à propheta,

videlicet

videlicet populi ruinā, & angustiam propriam: paupertatem eorum qui tribulabantur, indignationémque Dei offensi, interdum verò fieri transitum sine mutatione personæ de corpore ad caput, & de capite ad corpus, cùm vna eadémque sententia non minùs corpori, quàm capiti possit adaptari, vt videmus statim in ipso verborum exordio. Disponamur ergo dociles ad hoc alphabetum, & ab isto lamentatore edocti sciemus singuli causam tam propriam quàm communem lamentari. Ita ergo querimoniam suam exorditur propheta: Ego sum vir ille, qui meam intueor inopiam, qui meam video calamitatem, qui meam experior miseriam. Alij quidem prophetæ paupertatem, & afflictionem Ierusalem, populíque Iudaici præuiderunt, & prædixerunt; mihi verò misero & pauperi peccatori soli contigit eandem calamitatem futuram præuidisse animo, atque prædixisse; & præsentem insuper nunc oculis cernere, experiríque corpore, ac lamentari voce: Hebræi legunt, sine pronomine, hoc modo: *Ego sum vir ille, qui vidi paupertatem, & afflictionē meam.* *Paupertas* autem idem est, quod calamitas, sicut passim in Scriptura inuenimus Psal. 30. *Infirmata est in paupertate virtus mea.* Et Isaiæ 48. *Elegi te in camino paupertatis*: proindéque *pauper* pro afflicto accipitur. Iob. 36. *Eripient de angustia sua pauperem.* Item Psal. 9. *Factus est Dominus refugium pauperi, adiutor in tribulationibus.* Et Psal. 24. *vnicus, & pauper sum ego.*

Psal. 30. *Isai.* 48. *Iob.* 36. *Psalm.* 9. *Psalm.* 24.

Notandum est autem, quòd non dixit: Ego vir pauper, parū enim dixisset, nam verè omnis

homo pauper, est gloria & gratia spoliatus, ac denudatus; sed nō omnis homo videt, nō omnis homo intelligit hanc ipsam paupertatem suam; & ideo id, quod magis imitabile est, dixit: *Videlicet ego vir videns paupertatem meam.*

In virga indignationis eius.] Multiplex in Scriptura sacra reperitur virga; alia est enim virga furoris, & indignationis, alia directionis. Est virga ferrea, qua conteruntur vasa testea in ira furoris Domini. Alia, qua in æquitate reguntur sancti ad supernam patriam, de qua loquebatur

Psalm. 44. Dauid Psalm. 44. *Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Hæc est virga directionis, siue

Psalm. 22. regni Messiæ, de qua idem Dauid Psalm. 22. *Virga directionis, virga regni tui:* Hæc est virga iu-

Ierem. cap. 1. stitiæ, quam Ieremias cap. 1. vidit vigilantem, & , vt superiùs exposuimus, florentem miseri-

Isai. 6. cordia. Est & virga indignationis, de qua ad Ierusalem Isaiæ 6. dicitur: *In indignatione percussi te, & in reconciliatione misertus sum tui.* Hac etiam virga percussus est Christus Dominus, non quòd indignatione dignus esset, sed quia propter scelus populi sui percussit eum Dominus. Inquit igitur Ieremias: Paupertatem meam, & calamitatem meam ego agnosco in supplicio acerbo, diuinæque iustitiæ seueritate; iniquitatem meam ego cognosco in acuta virga, & in aspero flagello, quo Deus me; meámque Rempublicam, percussit. Vel ita, & fortè melius: Ego mentis oculis video miseriam meam in ira, ac indignatione, quam in filium suum dilectissimum ostendit æternus Pater mea causa; video enim virgam illam Iesse frondibus spoliatam,

vepri

vepribus circumdatam, vndequaque laceratam: In cuius sententiam eleganter inquit Bernardus: Filius Dei iubetur occidi; vt vulneribus meis pretioso sanguinis illius balsamo medeatur, Agnosce ô homo, quàm grauia sint illa vulnera, pro quibus oportuit Christum Dominum vulnerari. Hæc Bernardus: Et meritò: Fæditas enim peccati, quam oculis intueri non possumus, vniuersáque eius malitia in crucifixo conspicitur. Christi in cruce nuditas speculum est nuditatis nostræ. Corpus illud diuinum fædatum, animæ fæditatem aperit: vulnera Christi, nostra ostendunt. Sicut enim cùm multæ res obiiciuntur speculo, harum omnium similitudines in speculo conspiciuntur; ita VERBVM ÆTERNVM, quod speculum sine macula est, vt vera genitoris imago ad viuum patrem repræsentans, factum homo in cruce omnium nostrorum expressit figuras in similitudinem carnis peccati; vt ait Paulus ad Rom. 8. resultauerunt enim in Christum Dominum omnium peccatorum similitudines, si ergo miseriam, & paupertatem animæ nostræ agnoscere volumus, videamus virgam Iesse frondibus orbatam, pendétem è cruce, iniquitates omnium nostrorum ad viuum exprimentem, ibíque consideremus, quid in arida virga fiet, si in viridi indignatio diuina hoc facit.

Bernardus.

Paulus ad Rom.

Me minauit, & adduxit in tenebras, & non in lucem.] Virga illa, inquit propheta, indignationis suæ, tamquam ouem ad occisionem me minauit, & adduxit permissiuè per exercitum Chaldæorum in tenebras, & caliginem rerum

aduer

aduersarum,& non in lucem,quæ post tenebras sperari solet. Præstolabatur enim ille cum Iob cap.30.lucem,& venerunt tenebræ.

Iob.c.30.

Potest etiam hic locus referri ad Tyrannum, qui Ieremiam in tetrum carcerem adduxit,ibíque eum catenis ligatum reclusit:vel potest intelligi de Sedechia Rege,qui erat caput populi, & exoculatus, filiísque occisis in Babylonē captiuus ductus est, ad sempiternum tenebrarum horrorem destinatus.

Tantùm in me vertit, & conuertit manum suam tota die.] loquitur more afflicti, & ærumnam suam omnium maximam æstimantis, quasi dicat. In me solùm transierunt iræ Domini, & flagella illius conturbauerunt me. Alij prophetæ has calamitates prophetarunt, & mortui sunt, ego infelix homo ad hoc vixi, ad hoc relictus sum,vt quod prædixi, & videam, & experiar. Præterea,vt notat D. Thomas, Ieremias omnium plagam sustinebat, quoniam erat velut pater omnium, atque adeò filiorum vulnera, tamquam propria sentiebat, maximéque cruciabatur; suas exhortationes nihil profuisse,& ideo dicebat.[*Tantùm in me vertit*]Rab. Solomô ita explicat:Ego solus flagellor assiduè, quoniam omnes reuersiones plagarum & verberum super me, & in me redundant. Atque ita Paraphrastes exponit hunc eundem versum. *Reuoluit super me plagam.* Diuus verò Thomas ita etiam explicat: Et conuertit iugiter, & assiduè percutiens, & iterum percutiens. Hector Pintus non ad Deum, sed ad Tyrannum, qui Ieremiam iterum atque iterum percussit, refert.

D.Thomas. *Rab.Solomô.* *Paraphrast.* *D.Thom.* *Hector Pint.*

fert. Attamen mihi prior expositio magis placet.

Beth.] *Vetustam fecit pellem meam, & carnem meam, contriuit ossa mea.*

Beth.] *Ædificauit in gyro meo, & circumdedit me felle, & labore.*

Beth.] *In tenebrosis collocauit me quasi mortuos sempiternos.*

EXAGGERAT Ieremias affectus calamitatis suæ, quasi dicat: Apprehensio calamitatis meæ me fecit canescere ante tempus. Nec mirum, ita enim contigit aliquãdo in quadam Lusitaniæ vrbe, vna nocte hominem canescere, præ horrore violentæ mortis, quam in carcere sequenti die prætoris decreto se passurum sperabat. Ita quoque Dauid Psal. 6. inquit: *Inueteraui inter omnes inimicos meos*, id est, tribulationes, quas ab hostibus patior, effecerunt, vt caro, & cutis mea sit rugosa, & contracta instar senectute confecti. Vel ita est intelligendus propheta, ac si dicat: consuetudine verberũ, quibus à virga indignationis Domini percussus sum, cutis & caro mea callum obduxit. *Dauid, Ps. 6.*

Contriuit omnia ossa mea.] Tribulatio ipsa ossa contriuit. Quemadmodum enim fulgur, vbi inuenit maiorem resistentiam, furit, ita tribulatio solùm vetustam fecit pellem meam; at ossa, in quibus erat maior resistentia, contriuit.

Ædifica

Ædificauit in gyro meo.] Tētoria ſcilicet Chaldæorum, ne aliquis è ciuitate poſſit egredi ad fugiendum, vel ingredi ad auxiliandum; & ideo ſubdit: *Circumdedit me felle*, id eſt, cordis amaritudine: nam *fel* pro angore accipitur. Ieremiæ 23.
Ierem. 23. *Potabo eos felle.* [*Et labore.*] tam in defenſione murorum, quàm in operibus laborioſis, & ſeruilibus poſt captam vrbem.

In tenebroſis collocauit me, quaſi mortuos ſempiternos.] Loquitur Ieremias, vel de ſpelunca, in qua latuit inimicorum metu agitatus, quomodo etiam Dauid fugiens à facie Saul ſe abdidit in
Pſal. 142. tenebroſa ſpelunca iuxta verba Pſal. 142. *Collocauit me in obſcuris, ſicut mortuos ſeculi.* Vel loquitur de obſcuro carcere, in quem ſine ſpe vitæ ipſe Ieremias, Sedechias, & nobiles regni coniecti ſunt.

Ghimel.] *Circumædificauit aduerſum me, vt non egrediar; aggrauauit compedem meum.*

Ghimel.] *Sed & cùm clamauero, & rogauero, excluſit orationem meam.*

Ghimel.] *Concluſit vias meas lapidibus quadris, ſemitas meas ſubuertit.*

EADEM fere repetit propheta ad mitigandum dolorem ſuum, modò in perſona propria, modò in perſona populi Iudaici. Primus namque verſiculus poteſt intelligi de obſidione

ne vrbis, quæ bellicis machinis & aggeribus fuit vndequaque vallata; vel etiam de illis qui in Babylone fuerunt inclusi in ergastulo, vt non possent inde exire. Quod insinuare magis videntur illa verba: [*Aggrauauit compedem meum.*] Nam Sedechias, Ieremias, & alij in obsidione sunt ligati manibus, compedibúsque aggrauati, & in carcerem detrusi, tanquam facinorosi homines, qui compedibus aggrauantur. Vnde, de Ioseph, Psal. 104. dicitur: *Humiliauerunt in compedibus pedes eius, ferrum pertransiit animam eius.* Et Psal. 149. dicitur: *Ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis.* [*Exclusit orationem meam.* Clamabant Iudæi ad Dominũ in tribulatione positi, sed Deus quodammodo claudebat aures ad preces illorum, volens supplicio purgare commissa scelera, & ideo cap. 7.12. & 14. prohibuit Deus Ieremiæ, ne pro populo oraret, quoniam non auditurus erat clamorem illius. Simili querimonia conqueritur Dauid Psal. 21. *Deus meus clamabo per diem, & non exaudies.* Clamabant quoque Iudæi ad homines, ad amicos scilicet, & vicinos, vt si quomodo per illos liberari possint ab hostium furore: at illi non exaudiebant; imò & quod grauius est, orationem, tanquam rem abominabilem excludebant: atque ita vtroque auxilio, diuino scilicet & humano, destituti Iudæi erant. Si autem quæras, quomodo cohæreat illud verbũ *clamauero* in futuro; cum verbo *exclusit* in præterito? Respondeo, Ieremiã spiritu prophetico vidisse clamorẽ Ierusalem non esse exaudiendum, sed potiùs excludendum; & ideo

Psal. 104. *Psal. 149.* *Cap. 7.12. & 14.* *Psal. 21.*

ex cer

ex certitudine prophetiæ more prophetarum posuisse præteritum pro futuro.

Conclusit vias meas lapidibus quadris.] Id est, muro ex quadratis lapidibus fabricato, qui fortissimus omnium esse solet. Nam opus quadra-
Apoc. 21. tum firmissimum est; ideóque Apoc. 21. dicitur: *Ciuitas sancta posita in quadro*, ad ostendendam illius firmitatem, & stabilitatem. [*Semitas meas subuertit.*] Vnde nulla mihi euadendi remanet via. Poterat dicere Ieremias cum Psalmista Psal.
Psalm. 141. 141. *Periit fuga à me, & non est, qui requirat animam meam.* Videbat Ieremias mentis oculis per longissimum tempus Iudæorum captiuitatem duraturam, & ideo ait: *Semitas meas subuertit*, viásque conclusit, nec datur euadendi locus, cùm nulla clausura sit fortior diuina præsciētia.

Daleth.] *Vrsus insidians factus est mihi, leo in absconditis.*

Daleth.] *Semitas meas subuertit, & confregit me, posuit me desolatam.*

Daleth.] *Tetendit arcum suum, & posuit me quasi signū ad sagittam.*

PRIMVS versiculus duobus modis potest accipi. Vel possunt enim verba illius referri ad Tyrannum Nabuchodonosor, vel ad ipsum Deum. Ad Tyrannum, quoniam Tyranni leo-
Prou. 28. nes in Scriptura sacra appellantur. Prouerb. 28. inquit

inquit Salomon: *Leo rugiens, & vrsus esuriens princeps impius super populum pauperem.* Et Amos cap. 5. loquens de Tyrannis inquit: *Quomodo si fugiat vir à facie leonis, & occurrat ei vrsus.* Et Dauid Psalm. 79. appellat Tyrannum, aprum de sylua, & singularem ferum. Possunt ista verba referri quoque ad Deum, qui obuiam factus est Ierusalem, quasi leo, seu vrsus destruens illam; iuxta illud Oseæ 13. *Ego ero eis quasi leæna, sicut pardus in via Assyriorum occurram eis, quasi vrsa raptis catulis, & disrumpam interiora iecoris eorum, & consumam eos ibi quasi leo.* Plangit igitur Propheta iustè, quòd pius & clemens Dominus, agnusque immaculatus, exigentibus peccatis nostris factus sit leo, vel vrsus insidians. Quid enim terribilius, quàm authorem nostræ salutis, vrsum vel leonem appellari? Hic tamen leo generosus est: iam autem

Amos 5.

Dauid Psal. 79.

Osea 13.

Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni:
Pugna suum finem, cùm iacet hostis, habet.

Procidamus igitur ante Deum, ploremus coram Domino, qui fecit nos; atque ita quem vrsum ferocem, & leonem timemus in terris, agnum occisum mansuetissimum, qualem in Apoc. ca. 5. vidit Ioannes, inueniemus in cœlis. Apoc. 5.

Tetendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam.] Tribus modis vsurpari solet signum in Scriptura sacra. 1. pro miraculo, ea de causa, vt notauit Viegas Apoc. cap. 12. sect. 2. quia miracula diuinam veritatem signant, ac confirmant. Sic eodem cap. 12. Apoc. dicitur: *Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta sole.* Et Psalm. 134. habetur: *Misit signa, & prodigia*

Viegas Apoc. 12.

Psalm. 134.

Actor.5. *in medio tui Ægypte.* Et Actorum 5. Per manus Apostolorum fiebât signa,& prodigia multa in plebe. Accipitur secundò,pro vexillo. Isaiæ c.5.
Isai.cap.5. *Psalm.73.* *Eleuabit signum in nationibus procul.* Et Psalm.73. *Posuerunt signa sua, & non cognouerunt*:imo, &
Lucanus. apud Lucanum,aliquoties, signum pro vexillo inuenitur. Cùm enim illustri prosopopeia patriā loquentem introduceret, inquit. Et iterum:

Quò fertis mea signa viri?
Signa pares aquilas, & pila minantia pilis.

Tertiò & vltimò sumitur signum pro scopo in quem sagittæ collimantur,vt in nostro textu,
S. Thom. quem S. Thomas explicās inquit Deum tetendisse velut arcum iudicium suum,vel exercitum Assyriorum, posuisséque Ierusalem tamquam signum, in quod Assyrij sagittas suas iacerent.
Iob.16. Similem locum inuenies Iob.16. *Tenuit ceruicem meam,confregit me,& posuit me quasi signum:circumdedit me lanceis suis.* Id ipsum voluit etiam prophetare de puero IESV Simeon, cùm dixit Lu-
Luc. 2. cæ 2.*Positus est in signum, cui contradicetur.* Quem
Tertul.lib.de carne Christi.cap.23. locum explicans Tertullianus libro de carne Christi, cap.23. disputans aduersus Marcionem, ait: Cognoscimus adimpleri propheticam vo-
„ cem Simeonis super adhuc recentem infantem
„ Dominum pronunciatam: Ecce hic positus est
„ in signum, cui contradicetur. Signum nimirum
„ natiuitatis Christi secundùm Isaiam cap.7.*Pro-*
„ *pterea Dominus dabit vobis signum:Ecce Virgo con-*
„ *cipiet in vtero, & pariet filium.* Agnoscemus enim
„ signum contradicibile conceptum, & partum
Paul.Thess. cap.1.& 3. Virginis. Hæc Tertullianus. Paulus quoque 1. Thessal. cap.3.inquit: *Nemo moueatur tribulatio-*

nibus

nibus istis, ipsi enim scitis, quod in hoc positi sumus, quasi dicat: Nemo ob meas calamitates perturbetur; nam sum veluti scopus constitutus, vt iaculis traiiciar. Ego credo, quòd alludit propheta vlterius ad immane tormentum, quo barbari efferati homines sagittis configebant, vt in illustri martyre Sebastiano ad palum ligato, videre licet. Atque ita Chaldæi aliquos Hebræos ligabant ad palum, velut scopum, in quē exercitij causa sagittas suas collimabant.

In sensu verò spirituali Ecclesia est signum, siue scopus, in quem omnes Tyranni suarum persecutionum sagittas emittebant, ita vt iure optimo signum contradictionis possit appellari. Ita enim illa Psalm. 128. de se ipsa loquitur: *Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, dicat nunc Israel.* Etenim Ecclesiæ pueritia fuit in Ægypto, vbi cæpta est eius persecutio (ne infantiam, quæ oppugnata fuit à Caim, fratrem *Abel* obtruncante, in memoriam reuocemus.) Adolescentia verò ab Assyriis & Chaldæis fuit plurimis calamitatibus affecta; iuuentus à Tyrannis persecuta; Denique ipsa Ecclesia vsque in hanc diem iam senescens ab hæreticis impugnatur. At lætabunda & exultans cum eodem propheta dicere potest: *Etenim non potuerunt mihi.* Licèt enim Deus potentiæ suæ conscius Ecclesiam signum magnum fecerit, vt ab eo persecutorum sagittæ aberrare non possint, cùm è contrariò scopus natura sua exiguus esse soleat, tamen idem signum magnum fecit impenetrabile, ne aduersariorum sagittæ in Ecclesiam intentæ eam ferire possent, in quo magis diuina

Psalm. 128.

potentia emicat. Quis enim Ecclesiam inter cœlestes orbes confidentem, solis radiis amictã, stellarum varietate coronatam, lunamque pedibus conculcantem, penetrare posset? Qui enim spuit in cœlum, sputo suo maculari sæpissimè contingit.

He.] *Misit in renibus meis filias pharetræ suæ.*

He.] *Factus sum in derisum omni populo meo, canticum eorum tota die.*

He.] *Repleuit me amaritudinibus, inebriauit me absynthio.*

PROSEQVITVR eandem metaphoram, & Hebræa phrasi sagittas appellat filias pharetræ, vt notarunt Viegas vbi suprà, & Hector Pintus hoc loco, quia in pharetra, velut in vtero gestantur. Iob cap. 30. ait: *Pharetram suam aperuit, & afflixit me. Per renes* verò viscera intelliguntur, quæ persecutionum sagittis sunt transuerberata. Vel ideo renes nominantur, vt notat Figuerius, quia sunt sedes libidinis, ex quibus varia scelera oriuntur. Rupertus ita explicat: Concupiscentiæ passionibus exposuit me per ineuitabiles sententias iustitiæ suæ.

Viegas. *Hector Pintus.* *Iob 30.* *Figuerius.* *Rupertus.*

Factus sum in derisum omni populo, canticũ eorum tota die.] Loquitur propheta de erisione populi, quam passus est ipse, quando verbis eius non crediderunt Iudæi; imo verò in faciem resistebant,

bant, dicentes cap. 43. *Mendacium loqueris.* Inquit igitur propheta, vt exponit D. Hieronymus: Bene ego prophetabam hæc omnia, & illi me irridebant, insanúmque putabant: imo verò factus tunc eram illis in canticum, & in parabolam. Sic Dauid Psalm. 68. inquit: *Factus sum illis in parabolam, aduersus me loquebantur, qui sedebant in porta, & in me psallebant, qui bibebant vinum.* *Parabola* autem idem est, quod prouerbium, siue quod Lusitanè dicimus *Aduo* Dicterium: imo verò D. Remigius explicans hæc verba Psalm. de passione Christi Domini, inquit, parabolam illic idem esse, atque diram imprecationē. Quādo enim mulier alicui dira precabatur, dicebat: *Ita ego te videam, quemadmodum vidi* IESVM *crucifixum.* Atque in hoc sensu existimo ita prophetam Ieremiam, vel ciuitatem Ierusalem fuisse calamitatibus confectam, vt iure optimo in parabolam esse possit omnibus dira precantibus.

cap. 43.
D. Hieron.
Dauid Psal. 68.
D. Remigius.

Repleuit me amaritudinibus.] Hebræi legunt: *Saturauit me ludibriis, & contumeliis*, sicque inferiùs habet iterū propheta: *Saturabitur opprobriis.*

Inebriauit me absynthio] id est, potione ex absynthio confecta; est enim absynthium herba fætida, & amara, quàm Lusitanè appellamus *Losna*, ideóque vtitur propheta hac metaphora ad explicandum acerbissimum dolorem, quo Ierusalem cruciata est.

D. Hieronymus docet mysticè posse exponi hunc locum de laboribus, quos sectatores mundi huius quasi per ebrietatem tolerant, iuuátque hanc expositionem D. Hieronymi, locus

D. Hieron.

Prouerb.cap.5. *Fauus distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius: nouissima autem illius amara quasi absynthium.* Namque, vt interpretatur
Lyra. Lyra: Quemadmodum absynthium in visceribus amarescit, ita peccatum admissum intra ipsam conscientiam amaritudinem generat, quæ tanta est, vt Deum Optimum Maximum, natura suauissimum, amarum, hoc est, iratum,
Osea 14. efficiat; iuxta illud Oseæ 14. *Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitauit Deum suum.*
Osea 12. Et Oseæ 12. inquit Dominus: *Ad iracundiam me prouocauit Ephraim in amaritudinibus suis.*

In sensu quidem spirituali hæc verba maximè quadrant Christo Domino, in cruce, felle & aceto potato; nullus enim mortalium sic repletus amaritudinibus dici potest, nec ita inebriatus absynthio, sicut Christus Dominus: quia nulla amaritudo fuit, quæ cum Christi amaritudine conferri valeat; sumpsit enim in cruce amaram potionem, vt purgationem peccatorum nostrorum faceret; etenim peccatum incœpit in paradiso cum dulcedine, & finem accepit in amaritudine crucis. Proprietas quippe peccati hæc est, vt suauiter & blandè ingrediatur, sed in nouissimo mordet, vt coluber, & extrema eius sunt amara, sicut absynthium. Et quoniam poculo amaritudinis Christus Dominus in cruce morbos nostros expulit, ideo velut medicus sanitatem, finémque morbi lætabundus annunciauit, proclamans, *Consummatum est*; peccatum scilicet, infirmitas abcessit, ægritudo abiit.

Vau.]

Vau.] *Et fregit ad numerum dentes meos, cibauit me cinere.*

Vau.] *Et repulsa est à pace anima mea, oblitus sum bonorum.*

Vau.] *Et dixi: Periit finis meus, & spes mea à Domino.*

TAM acerbum dolorem sustinuit Ieremias, vel Ierusalem, acsi omnes illius dentes sigillatim fuissent confracti: Dolor enim dentium maximus esse solet: quippe qui, teste Galeno, habent vim sentiendi in neruo illo, qui dentium radicibus est adiunctus: quanuis Auicena existimet, intra dentium substantiã esse aliquid intimum, quod sit illis principium sentiendi. Vnde à Tyrannis D. Apolloniæ, Processóque, & Martiniano, ac aliis martyribus dentes aliquando saxis sunt constituti. Imò & Philo Iudæus in lib. de specialibus legibus tom. 2. pagina 166. refert hanc legem: *Siquis præ nimia superbia seruo dentem excusserit, & priuauerit hominem instrumento ad sustentandam vitam necessario, is manumittat læsum tam grauiter, & multetur viuo instrumento cariturus eius ministeriis.* Ex quibus verbis satis infertur, quàm vehemens cruciatus sit fractio dentium, & vt alia omittam, in Euangelio dolores inferni stridori dentium passim comparantur. Aliter exponit hunc locum Rab. Solomô, quem sequitur Lyra: *Confregit in arena dentes meos*: quoniam Iudæi de patria expulsi fa- *Philo Iudæus.* *Rab. Solomô. Lyra.*

 ciebant

ciebant subcinericios panes, in quibus commiscebátur arenę, & pulueres, iuxta vaticinium
Ezech. cap. 4. Ezech. cap. 4. *Sic comedent filij Israël panem suum pollutum inter gentes, ad quas eiciam eos.* Et sic ex arena commista offendebantur dentes manducantium.
D. Hier. Diuus Hieronymus explicat: Abstulit mihi vsum edendi, & pauit me pastu inutili. Vnde eleganter sequitur: [*cibauit me cinere.*] id est, dedit mihi cinerem ad manducãdum in cibum: significatur enim per hoc, prophetam, vel Ierusalé in maximo luctu, & squallore esse ingurgitatam.
Psal. 101. Sic enim Dauid Psal. 101. ad exprimendum suum maximum luctum, inquit: *Cinerem tanquam panem manducabam.*
Rab. Dauid. Rab. Dauid explicat: *Contexit, & cooperuit me cinere.* Nam in magnis calamitatibus solebant Hebræi se cinere
Paraphrastes operire, vt iam latè ostendimus. Vnde hic Paraphrastes legit: *Humiliauit me cinere.*

In dentibus autem Ierusalem illustres tropologias agnoscunt doctores. Nam dẽtes in Scriptura sacra interdum accipiuntur in sinistram partem, nempè pro Tyrannis, & hominibus sæuis, qui alienum sanguinem sitiunt, & pauperes
Iob. cap. 29. & 41. deuorare desiderant. De quibus loquitur Iob cap. 29. *Conterebam molas iniqui, & de dentibus eorum auferebam prædam.* Et cap. 41. vbi depingitur Behemoth, dicitur: *Per gyrum dentium eius formi-*
Prouerb. 30. *do.* Prouerbiorum 30. *Generatio, quæ pro dentibus*
Psalm. 56. & 57. *gladios habet, vt comedat inopem.* Psal. 56. inquit Dauid: *Dentes eorum arma, & sagittæ.* Et 57. *Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum.* Denique in
Dan. 7. confirmationem huius sententiæ Daniel. 7. apparet bestia illa quarta omnium ferocissima,

acuens

acuens dentes ferreos in ſanctos Dei.

Verùmtamen frequentiùs ſumuntur dentes in bonam partem, nimirum pro doctoribus, & prædicatoribus. Ita D. Hieronymus hoc loco, & inſignis Ludouicus de Soto maior, ad illum locum Cantic. 4. *Dentes tui ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro.* Almonacirius ibidem, & alij. Quod probare poſſumus ex illis verbis Thren. 4. *Paruuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis*: id eſt, non erat doctor, qui frangeret paruulis cibum ſpiritualem. In quo ſenſu inquit Diuus Paulus 2. ad Timot. 2. *Exhibe te ipſum operarium bene tractantem verbum Dei*; vbi Græci legunt: *Rectè diuidentem verbum Dei.* Iam autem diuidere cibum eſt propriũ munus dentium. Quoniam autem in dentibus neceſſarius eſt candor; in doctoribus & prædicatoribus requiritur caſtitas, & puritas vitæ, cuius candorem præſentiens Iacob à longè cap. 49. Geneſ. de Meſſiæ oculis & dentibus ita loquitur: *Pulchriores oculi eius vino: dentes eius lacte candidiores.* Cùm igitur per dẽtes in Scriptura ſacra doctores & prædicatores intelligantur, accommodatiſſimè hoc Ieremiæ loco per fractionem dentium poſſumus intelligere mortem doctorum, ac prædicatorum.

D. Hieron. *Ludouicus de Soto maior.* *Almonacirius.* *Threnor. 4.* *2. ad Timo. 2* *Geneſ. 49.*

Rurſus Diuus Hieronymus per dentes accipit internos ſenſus, qui mandunt, atque comminuunt ea, quæ cogitantur, atque ad memoriæ ventrem tranſmittunt. Hos autem dentes ad numerum dicit cõfractos, quia iuxta menſuram vniuſcuiuſque peccati intelligentiæ cæcitas generatur in ſenſibus: & quemadmodum eius dentes

D. Hieron.

dentes obstupescunt, qui vuam acerbam, id est, fructus ante tempus comedit, ita qui præsentis vitæ delectatione pascitur, eius interni sensus ligantur, vt spiritualia mandere, hoc est, intelligere nequeat.

Paschasius. Paschasius existimat hoc loco animam fidelem lugere fracturam dentium, quibus terere & ruminare debebat verbum Dei; animal

Deuter. 14. enim, quod non ruminat, Deuter. 14. reprobatur, verbum autem Dei sensibus, quasi dentibus molere, & ruminare sanitas est, & victus.

Deut. 34. Vnde Deuteron. 34. in præconium Moysis dicitur, quòd cùm obiisset in ætate centum & viginti annorum, dentes illius non sunt moti; quoniam scilicet verbum Dei semper corde, & ore ruminauit.

Rupertus. Quærit autem eleganter Rupertus: quare Propheta de solis dentibus conqueratur, cùm Deus omnes artus, & omnia membra confregerit, & in puluerem redegerit? Respondítque ideò hoc dictum à propheta, quia dentibus homo primum peccatum perpetrauit, dum ligni vetiti fructum momordit. Igitur inquit propheta: *Dentes meos confregit, & cinere me cibauit,* quia propter morsum genus humanum morte confregit, & in cinerem redire iussit.

Paraphrastes. *Et repulsa est a pace anima mea.*] Paraphrastes explicat: Cessauit pacem petere anima mea: id est: desperauit anima mea pacem posse habere (nomine enim pacis quies & tranquil-

Psal. 37. litas vsurpatur.) Sic enim Dauid inquit Psal. 37. *Non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum*, id est, peccatorum stimulis agitatus

quiescere

quiescere non possum.

Oblitus sum bonorum.] Hoc est, recordatione præteritorum bonorum non possum consolari: imò dum illa in mentem veniunt, magis augent dolorem, quàm mitigant. Vel hoc modo; gloria illa, si quæ aliquando fuit, velut flos caducus fuit, & quasi flamma de stipulis, cuius nec remanet vestigium, vt cum Ouidio dicere possemus.

Nos quoque floruimus, sed flos fuit ille caducus,
Nostráque de stipulis flamma breuisque fuit.

Periit finis meus.]Rab.Solomô exponit:*Periit seculum meum, consummata est periodus vita mea.* Rab. Dauid ita legit: *Consumptus est spiritus vitalis.* Paraphrastes autem: *Periit robur meum.* Figuerius verò ita; *Nullus erit tribulationis meæ finis.* At Hector Pintus: *Euanuit res, quam expectabam.* Qui omnes dicendi modi tam Ieremiæ quàm afflictæ Ierosolymæ optimè quadrant. Vltimus tamen mihi magis placet. Rab. Solomô. Rab. Dauid. Paraphrast. Figuerius. Hector Pint.

Et spes mea à Domino.] Defecerunt oculi prophetæ sperantes auxilium à Domino, vt à præsentibus malis exueretur: clamauit & raucæ factæ sunt fauces illius. Similem effectum dolentis inuenies; Iob capit. 19. *Destruxit me vndique & pereo, & quasi euulsæ arbori abstulit spem meam.* Iob c.19.

Zain.] *Recordare paupertatis, & transgressionis meæ, & absynthij, & fellis.*

Zain.]

Zain.] *Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea.*

Zain.] *Hæc recolens in corde meo, ideo sperabo.*

MIRANDVM in modum prima verba huius textus torqueret ingenia expositorum, vsque adeo, vt Figuerius, Hebraici idiomatis peritissimus, asserat nullam inuenisse expositionem, quæ sibi arrideat. Ratio verò dubitandi in eo posita est, quod cùm Dauid beatos illos iudicet, *quorum tecta sunt peccata*, Psal. 142. petat à Domino, *ne intret in iudicio cum seruo suo.* Item Tobias cap. 3. dicat: *Ne reminiscaris delicta mea*, vel parentum meorum, reliquíque sancti hoc ipsum summis precibus à Deo impetrare desiderent: propheta tamen Ieremias nomine proprio, vel nomine Ierusalem positus in tribulatione petat, vt transgressionem suam Deus in mentem reuocet. Si Deus transgressionis tuæ recordatus fuerit, acerbius te puniet, cùm huc vsque de more suo citra condignum te castigauerit. Quid igitur petis propheta sancte? Lyra ait, hoc loco transgressionem passiuè esse intelligẽdam, quasi dicat: Recordare Domine transgressionis, id est, passionis meæ, quam Chaldæi vltra modum mihi intulerunt: & in confirmationem huius sensus, quem Figuerius reprobat, poteramus nos afferre in obsequium Lyræ, locum Zachariæ cap. 1. quo Deus inquit: *Ira magna irascor in gentes opulentas, quia ego iratus sum parum*

Figuerius. *Psalm. 142.* *Tobias. 3.* *Lyra.* *Zacharia 1.*

parum, illi autem adiuuerunt in malum. Ecce vides Deũ iratum in excessum Chaldæorũ vltra modum Hebræos vexantium. Paschasius per transgressionem intelligit Christum Dominum, qui nostri amoris causa factus est transgressio legis, sicut maledictum, & peccatũ, vt peccatum, & maledictum, ac transgressionem nostram deleret. Rab. Dauid exponit: Recordare paupertatis, & humilitatis, seu humiliationis meæ. Paraphrastes verò explicat: Recordare acerbitatis meæ. Rab. Solomô, cui se addere videtur Figuerius, habet. Recordare instabilitatis meæ. Hector Pintus accipit transgressionem, & pro transitu de diuitiis ad paupertatem, & pro transitu de patria ad exilium. Aliqui tamen nomine transgressionis lamentationem intelligunt; nescio tamen quo fundamento.

Paschasius. *Rab. Dauid* *Paraphr.* *Rab. Solomô.* *Hector Pint.*

At certè transgressio propriè pro violatione diuinæ legis accipitur in sacris literis. Iosue cap. 22. *Quæ est ista transgressio?* Et 1. Esd. cap. 1. luget ille populi transgressionem. Paulus ad Galat. 3. habet: *Lex propter transgressionem posita est:* quare audiamus auream Ruperti expositionem. Postquam iratus fueris peccãti homini (inquit ille,) » misericordiæ recordaberis, quia pro peccato » vnius hominis multum est pœnarum, multum » paupertatis, absynthij, & fellis. Paupertas mor- » talitas corporis est; absynthium & fel, mors » animæ est: horum si recordatus fueris, multum » pœnarum sumptum esse misericordia tua æsti- » mabit; quod sciens alius dixit: vtinam ap- » penderetur peccata mea, quibus iram merui; & » calamitas, quam patior, in statera; hæc quasi »

Iosue 22. *3. Esd. c. 1.* *Paul. c. 3.* *Rupertus.*

„ arena maris grauior appareret. Hæc Rupertus.

Ego verò (si fas est vnicuique in exponendo difficili loco suam ponere sententiam) existimo prophetam suam iniquitatem ideo velle esse semper in conspectu Domini, vt ad præsentiam illius, diuinæ misericordiæ & amoris ignis magis ad subueniendum accédatur; licèt enim peccatum placere non posit Deo, peccator tamen illi omnino displicere non potest; nihil enim eorum quæ fecit Dominus, odit. Atque adeò, cùm in Deo misericordia non sit effectus amoris, vt in hominibus, sed è contrario amor sit effectus misericordiæ, quò maior est misericordia nostra; eò magis ignis amoris accenditur ad comburendum peccatum, & liberandum, ac refrigerandum peccatorem.

In felle, & absynthio, vel obserua expositionem Ruperti, vel intellige amaritudinem afflictionis, deuastationis, captiuitatis, & exilij. Nec erit abs re, si saltem in sensu spirituali dicamus prophetam mentis oculis conuertere orationem suam ad Christum in cruce pendétem, felléque, & aceto potatum, quasi dicat: Recordare IESV piè illius fellis, quod tibi in escam sint daturi Iudæi, & aceti; quo te potaturi sunt, vt virtute illius me liberes ab acerbitate pręsentis fellis, & absynthij.

Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea.] Ecce effectus veri pœnitentis: à cogitatione enim peccatorum dolore contabescit; cuius autem anima tali cogitatione cótabescit, desiderare potest, vt Deus recordetur præuaricationis

cationis suæ doloribus maceratæ, lacrymísque ablutæ. In cuius rei argumentum ita inquit Diuus Hieronymus hoc loco: Qui semetipsum diligenter inspicit, & pro peccatis suis carnem macerare, & desideria mortificare non desinit, non solùm veniam delictorum, sed etiam supremum præmium à vero Saluatore, & clementissimo iudice, sperare debebit, qui omnes homines vult saluos facere; est enim misericors, & miserator, patiẽs, & multum misericors; & ideo propheta hanc inuestigabilem profunditatem bonitatis Dei cõsiderans, & proterua non ignorans vitia, subdidit, dicens: *Misericordia Domini*.&c. Hæc Hieronymus. Rab.Solomô, & Paraphrastes ita explicant verba vltimi versiculi. [*Hæc recolens in corde meo ideo sperabam:*] id est, idcirco sperabo recolens in corde meo hanc consolationem, nimirum misericordias Domini.

D. *Hier.* ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,,

Rab.Solomô. *Paraphrastes.*

Heth.] *Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes eius.*

Heth.] *Noui diluculo, multa est fides tua.*

Heth.] *Pars mea Dominus, dixit anima mea: propterea expectabo eum.*

MISERICORDIÆ vel sunt in nominatiuo plurali, vt sit sensus; Misericordiæ Domini

Domini ſunt cauſa, propter quam non ſumus conſumpti. Vel ſunt in datiuo ſingulari: Miſericordiæ Domini tribuitur, quod non ſimus conſumpti. Aut per exclamationem: Miſericordiæ Domini, quia non ſumus conſumpti! niſi enim eſſent miſericordię Domini, nō relinqueremur viui. Simili verborū tenore vtitur Iſaias

Iſai.1. cap. 1. *Niſi Dominus exercituum, reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrha ſimiles eſſemus.* Hæc verba iure optimo poteſt quilibet peccator dicere: Niſi enim Dominus peccatores per miſericordiam reciperet, actum iam eſſet de illis. Cùm enim Deus reliquas creaturas in obſequium hominis condiderit, poſtquam homo peccauit, omnes illæ creatori ſeruientes excandeſcunt, armáque ſumunt aduerſus peccatores. Sol illum lædit, aër perdit, fera animalia dirumpunt, ignis comburit, & ipſamet caro in ſpiritum rebellat, *& factus eſt homo ſibi*

Iob cap.7. *ipſi tormentum.* Vnde Iob cap. 7. *Quare* (inquit) *poſuiſti me contrarium tibi, & factus ſum mihimetipſi grauis?* Ipſi etiam Angeli viam paradiſi ignitis gladiis, ne homo illo potiatur, defendunt. Quid ergo faciam miſer, quò fugiam, cum Iob, niſi ad te Domine, Deus meus? Tu enim creaturas detines ne me interimant, miſericordia tua effectum eſt vt non ſim conſumptus. Caim plo-

Geneſ.4. rans, ac tremebundus, dicebat Geneſæos 4. *Omnis, qui inuenerit me, occidet me.* In Deo tamen remedium inuenit, qui poſuit ſignum in Cain, ne

Ionas c. 2. interficeretur. Et Ionas cap. 2. *Profugus fugiens à Deo, in Deo remed um inuenit.* Hæc eſt enim Dei noſtri clementia: *Ego te offendebam,* inquit Augu-

ſtinus,

ſtinus, *& tu me defendebas.* Si nunc quiſpiam proditor filium regis occideret, & hac de cauſa vniuerſum regnum, eum quæreret in ſupplicium, nec vllum latendi locum inueniret, niſi in domo regis, cuius filium occidit; rex verò eum abſconderet in ſecretiori domus ſuæ cubiculo, an non ingens hæc miſericordia eſſet? Attende ô Chriſtiane Dei tui in te miſericordiam: tu in eum peccaſti, omnis creatura in te armatur, ipſe verò te abſcondit, & liberat iuxta Pſal. 30. *in abſcondito à conturbatione hominum.* *Auguſt.* *Pſalm. 30.*

Quia non defecerunt miſerationes eius.] Cùm miſericordiæ theſaurus ſit infinitus, nec exhauriri poſſit, mirum non eſt, ſi miſericordiæ nunquam deficiant. Vnde Paul. 2. ad Epheſ. Deum Optimum Maximum *diuitem in miſericordia* appellat ea de cauſa: quia cùm à progenie, & in progeniem, miſericordia eius hominibus fuerit communicata, adhuc tamen habet abundantes diuitias, quas oſtendat in ſeculis ſuperuenientibus: Si enim, teſte Habacuc in ſuo cantico, quando Deus iraſcitur, miſericordiæ recordatur, quando deficere poſſunt miſerationes eius, quæ ſunt ſuper omnia opera eius. *Habacuc.*

Noui diluculo.] D. Thomas, Dionyſius, Paſchaſius, & Lyranus, exiſtimant *Noui* eſſe verbum, & non nomen; ait enim Paſchaſius: *Noui fidei conſtantiam.* Et Lyra inquit, Ieremiam à diluculo pueritiæ, ſeu ætatis fuiſſe cognitione diuina illuſtratum. At recentiores Hebrææ linguæ indagatores affirmant *Noui* eſſe nomen, & non verbum, poſitúmque eſſe in nominatiuo plurali; in radicéque Hebræa non *noui*, ſed *noua* eſſe *D. Thomas.* *Dionyſ.* *Paſchaſius.* *Lyranus.*

legendum; & vitio librariorum effectum esse, vt loco *noua* scriptum sit *noui*. Ita Figuerius, Pintus, & alij: imò & Rupertus ex antiquioribus in eadem sententia est, creditque *noua* esse adiectiuum misericordiæ; non enim (inquit ille) Defecerunt miserationes eius, sed quasi diluculo nouæ consurgent post exactam tenebrarum præsentium noctem. [*Diluculo.*] id est celeriter. Nam per tempus matutinum celeritas exprimitur, iuxta illud Psalm. 100. *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ.* Tanta quippe celeritate Deus homines quærit, vt vel antequam in carne nasceretur, iam per montana cum festinatione ipsum Baptistam in vtero materno latentem, Lucæ 1. quæsierit, vt illum illuminaret sedentem in tenebris, & in vmbra mortis peccati originalis ad dirigẽdos pedes illius in viam pacis. Imò, *& qui de luce vigilauerit, non laborabit; assidentem enim* Sapient. 6. *pro foribus suis inueniet*, diuinam misericordiam expectantem, audientem, benignè consolantem, & in viscera rapientem omnes. Quid dicam: *pro foribus suis?* Pro foribus peccatoris diluculo vigilat, auxiliis præuenientibus pulsando, interdumque efficacia eorumdem cordis repagula confringendo.

Figuerius. Pintus. Rupertus. Psalm. 100. Luc. 1. Sap. 6.

Multa est fides tua.] Non accipitur hic *fides* pro Theologica virtute, quæ definitur à Paulo ad Hebr. 2. *sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*; sed pro constantia, & fidelitate in promissis. In quo sensu Cicero lib. 1. officiorum inquit: *Fidelitas est dictorum: conuentorumque constantia, & veritas.* Est igitur hoc loco apostrophe ad Deum, quasi dicat propheta: Incredi-

Ad Hebr. 2. Cicer. lib. 1. officior.

credibilis eſt, ô Deus, fides tua, qui, vt ſtares promiſſis factis patriarchis ſanctis, non penitus deleſti gentem Hebræam. Quàm autem fidelis Deus noſter ſit in præſtandis promiſſis, ſatis eleganter explicat Dauid, Pſalm. 88. dum inquit: *In æternum ſeruabo illi miſericordiam meam*, loquitur autem de eodem Dauid, *& teſtamentum meũ fidele ipſi; ſi autem dereliquerint filij eius legem meam, viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Miſericordiam autem meam non diſpergam ab eo, neque nocebo in veritate mea, neque prophanabo teſtamentum meum, & quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita.* Et infrà: *Semel iuraui in ſancto meo.* Pſalm. quoque 144. inquit: *Fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis.* Vnde confidenter Paulus 1. Corinth. cap. 10. ait: *Fidelis Deus, qui non patitur vos tentari ſupra id, quod poteſtis.* *Pſalm. 88.* *Pſal. 144.* *1. Corint. 10.*

Rupertus aliter hunc locum interpretatur, referens fidem ad eam, quæ adhuc in aliquibus viris timoratis fulgebat: Multi enim ſunt (inquit ille) quorum fides meretur, vt poſt iſtam caliginem, qua obtecta es, ô filia Sion, in furore Domini, nouarum tibi miſerationum diluculum conſurgat. Quæ expoſitio ſaltem pro reuerentia authoris diſplicere non poteſt; priorem tamen non reiiciens. *Rupertus.*

Pars mea Dominus, dixit anima mea.] Fœlix anima, quæ aliena à vitiis, ſegregata à peccatis, hæc dicere poteſt. Talis planè erat Dauid, quando Pſalm. 15. dicebat: *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei.* Et Pſalm. 72. *Deus cordis mei, & pars mea, Deus in æternum.* Per charitatem enim ita *Pſalm. 15.* *Pſalm. 72.*

homo Christo Ecclesiæ capiti adhæret, vt ex illo & Christo vnum veluti aggregatum resultet, cuius partes sunt Christus & homo. In quo sensu loquebatur Paulus ad Romanos 8. dum inquit: *Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia*, &c. Nam per charitatem conglutinatus adhærebat Christo. Et in hoc etiam sensu loquebatur Christus Dominus Ioãnis 13. dum dixit Petro: *Si non lauero te, non habebis partem mecum*, nisi fueris obediens præceptis meis, nisi pœnitentiæ lauacro per hoc significato fueris ablutus, non consequeris gratiam, proindeque non habebis partem mecum, nec eris pars huius aggregati, quod ex me, & viro fideli resultat; vel non manducabis Eucharistiam, proindeque virtute illius non efficieris pars totius, quod resultat ex Christo, & ex sumente eandem Eucharistiam. Cùm igitur fideles sint partes Domini, seu corporis ipsius, meritò in eo cum propheta Ieremia sperare possunt, nec enim caput in membra, corporisque partes influere desinet. Et ideò rectè concludit Ieremias: *Propterea expectabo eum.*

ad Rom. 8.

Ioan. 13.

Theth.] *Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum.*

Theth.] *Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei.*

Theth.] *Bonum est viro cum portauerit iugum ab adolescentia sua.*

OMNI

OMNIBVS quidem bonus eſt Dominus, cùm per naturam ſit bonitas immenſa, fónſque bonitatis, proindeque bonus appareat in creatione, in conſeruatione, in patientia, & magnanimitate, qua ſuſtinet nos: Denique in flagello, & in ipſa gehenna caſtigans ſemper citra condignum. At ſperantibus in eum, magis elucet ſplendor bonitatis & miſericordię ipſius; qui enim ſperant in eo, recti ſunt corde, pij fideles, denique paterna benedictione, & iuſtitiæ ſplendore, de quibus propheta Pſalm. 72. *Quàm bonus Iſrael Deus his, qui recto ſunt corde. Hi quoque qui ſperant in Domino* (inquit Iſaias cap. 40.) *Mutabunt fortitudinem* (eam ſcilicet in dies magis renouando) *aſſument pennas, ſicut aquilæ, current, & non laborabunt, volabunt, & non deficient.* Bonus itaque eſt Dominus ſperantibus in eum, quia beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum. Spes humana alit quidem homines, ſed quoque fallit, viridis eſt, ſed *viridi latet anguis in herba*; ideoque maledictus homo, qui ſperat in homine. Nec enim confidendum eſt in principibus: ſunt namque filij hominum, in quibus non eſt ſalus. Solùm in Deo firma eſt anchora ſpei noſtræ in periculoſo mari huius ſeculi inter ſæuientes mundi procelllas. Dauid Pſalm. 103. appellat Deum noſtrum *petram refugium herinaceis.* Diuus autem Ambroſius 5. Hexam. cap. 9. & D. Baſilius in Hexamer. homilia 7. affirmant herinaceum marinum equum eſſe, qui cùm inſurgere tempeſtatem videt, ne fluctibus extra mare pellatur, adhæret velut anchoræ alicui firmiſſimæ petræ, quã pedibus manibuſque enixè

Pſalm. 72. *Iſai. cap. 40.* *Pſal. 103.* *D. Ambroſ.* *D. Baſil.*

tenet. Nobis igitur laborum tentationumque fluctibus in mari huius seculi agitatis, velut herinaceis, petra refugij est Deus noster, quia bonus est sperantibus in eum.

Psal. 68. *Animæ quærenti illum.*] Meritò Dauid Psalm. 68. inquit: *Quærite Deum, & viuet anima vestra.*
Hier. Hieronymus ait: Qui Deum quærit, inueniet, & ad beatam vitam perueniet. Audi melliflué
Bernard. Bernardum exponentem hunc locum in tractatu de diligendo Deum: Eius amor (inquit » ille) noster est, præparat, & remunerat: præcedit » benignior, rependitur iustior, expectatur suauior; diues est omnibus, qui inuocant eum, nec » tamen habet se ipso quidquam melius; se dedit » in meritum, se seruat in præmium, se apponit in » refectionem animarum sanctarum, se in redem» ptionem distrahit captiuarum. *Bonus es Dominus animæ quærenti te.* Quid ergo inuenienti? Sed enim in hoc est mirum, quòd nemo te quærere valet: nisi qui priùs inuenerit: vis igitur inueniri, vt quæraris; quæri, vt inueniaris: potes quidem quæri, & inueniri, non tamen præueniri. Nam etsi dicimus: *Manè oratio mea præueniet te:* non dubium tamen, quòd tepida sit omnis oratio, quam non peruenerit inspiratio. Hæc Bernardus.

Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei.] Silentium hic non tam taciturnitatem, quàm patientiam & tolerantiam significat, qua debemus sperare auxilium nostrum à Domino Deo nostro. Asserit igitur propheta Ieremias peruvtile esse viro patienti, fideli, & sine querelis ac murmurationibus adiutorium diuinum expectare,

ctare,licèt aliquando differri videatur. Ita Paulus ad Philip.2.commendat, vt sine murmurationibus omnia fiant.Nam,vt inquit D. Petrus can.2.cap.3.*Non tardat Deus promissionem suam.* Et Habacuc cap.2.inquit: *Si moram fecerit, expecta eum,veniens veniet, & non tardabit.* Isaias quoque cap. 40. monet, quòd in spe, & silentio sit fortitudo nostra;nam silentium, hoc est, tolerantia optimè cum spe cohæret.

Philip.2. **D.Petrus.** **Habacuc.c.2.** **Isai.cap.40.**

Ego verò existimo prophetam Ieremiam non solùm loqui de auxilio temporali, sed diuino afflatum spiritu transtulisse orationem suã ad Messiam desideratum cunctis gentibus, quẽ expectabant antiqui patres, fideles cupiebant, prophetæ vaticinabantur, cuiúsque liuore sanandæ erant infirmitates omnium. Sicque Iacob moriens, Genes.49. raptus desiderio saluatoris,inquit:*Salutare tuum expectabo Domine.*Pro quo Paraphrastes Chaldæus eleganter habet: Non expecto Domine salutare Gedeõ filij Ioas, quæ est salus temporalis; nec salutare Sansom filij Manue,quæ est salus transitoria,sed expecto redemptionem Christi filij Dauid,qui venturus est ad conuocandos sibi filios Israel, cuius redemptionem desiderat anima mea.

Genes.49. **Paraphrast. Chaldæus.**

Bonum est viro,cùm portauerit iugũ ab adolescentia sua.]Cùm vexatio det intellectum, Ieremias positus in tribulatione,concionatoris more docet, qualis debeat esse educatio puerorum, vt à Deo,& pro Deo labores patienter tolerare possint. Perutile,inquit,est viro non solùm fructum senectutis,sed etiam flores iuuentutis Deo dicare: quàm necessarium est à prima ætate portare

iugum Domini. Per *iugum* autem lex Domini significatur, iuxta illud Matthæi 11. *Iugum meum suaue est, & onus meum leue.* De isto quoque iugo loquebantur impij Psalm. 2. *Proiiciamus à nobis iugum ipsorum.* De quibus impiis ait Oseas cap. 7. *Reuersi sunt, vt essent absque iugo.* Iugum autem Dei oportet ab adolescentia portari, vt facili habitu vitia expellantur. Nam vt est in prouerbio:

Matth. 11. *Psalm. 2.* *Oseas cap. 7.*

Quo semel est imbuta recens, seruabit odorem
Testa diu.

Et, vt inquit Salomon 2. Prouerb. *Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Vnde Psalm. 70. merito inquit Dauid: *Deus docuisti me à iuuentute mea, & vsque in senectam, & senium, Deus ne derelinquas me.*

Salomon 2. Prou. *Psalm. 70.*

Iod.] *Sedebit solitarius, & tacebit: quia leuabit se super se.*

Iod.] *Ponet in puluere os suum, si fortè sit spes.*

Iod.] *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.*

LOQVITVR adhuc de illo, qui ab adolescentia iugum portauit. D. Ambrosius in » oratione obitus Iustiniani, hunc locum explicat » hoc modo: Qui in flore iuuentutis diuino affla- » tus amore mundana relinquit, abnegans semetipsum,

D. *Ambros.*

ipſum, vt ſequatur Dominum, rem adeo mirabilem facit, vt paucos inueniat ſocios, proindéque ſolitarius manebit. Et ita D. Auguſtinus in ſuis confeſſionibus affirmat ſe eo argumento motum fuiſſe ad ſequendam Chriſtianorum viam, quòd pueros ac puellas videret teneris ab annis vitia fugere, ſolitudinéſque ad Deum cõtemplandum quærere. Et D. Athanaſius affirmat, excellens eſſe fidei noſtrę argumentum, pueros ab hominum conſortio ad azylum religionum confugere. Aliter poteſt hic locus explicari. Qui à primis annis ſe Deo dicauit, ſolum è mundo vult ſolitaria loca, in quibus longè ab ſtrepitu mundi cum ſilentio Dei contemplationi ſuauiter vacet. Namque, vt inquit Euſebius Emiſſenus, *Hæc eſt gloria monachi à nemine cognoſci.* Oſeæ cap. 2. inquit Dominus de anima fideli: *Ducam eam ad ſolitudinẽ, & loquar ad cor eius.* Ideo meritò tacebit, vt audiat Dominum loquentem ad cor: ſicque Iſaiæ 47. dicitur: *Sede tacens.* Dauídque dum ſegregatus à turbis Deo vacabat, Pſal. 101. ſe comparat pelicano ſolitudinis. Solitudo quidem locus eſt aptiſſimus ad diuina beneficia conſequenda; in ſolitudine námque quadraginta annis pauit Deus populum ſuum pane de cœlo præſtito, imò de ſolitudine vocatus eſt Moyſes ad gubernandum populum Dei. In ſolitudine luctatus eſt Iacob cum Deo in forma hominis ſibi apparente, &, quod magis eſt, in ſolitudine præualuit Deo. In ſolitudine educatus fuit Dauid, leones, & vrſos occidens, vt eſſet Rex ſecundùm cor Domini, quin potiùs, dum

[Margin notes: D. *Auguſt.* — *Euſebius Emiſſ.* — *Oſeæ c.* 2. — *Iſai.* 47. — *Pſal.* 101.]

postea esset inter turbas, columbæ pennas desiderabat, vt se elongans, fugeret in solitudinem. In solitudinē secessit Christus Dominus, vt ibi ieiunio, & oratione se muniret ad excipiendos & infringendos diabolicos inflictus. In solitudine quinque panibus & duobus piscibus saturauit quinque millia hominum. Denique

Apoc.2. Apoc. 2. datæ sunt Ecclesiæ præfiguratæ in muliere illa solis iubare vestita, alæ aquilæ magnæ; vt volaret in solitudinem locum suum, quia scilicet locus Ecclesiæ est solitudo, in qua peregrina; & exul à cœlesti patria versatur.

Auendannus. Auendan.tract.2.in Psal. *Beati immaculati,* ita explicat hunc Ieremiæ versiculum: A primis annis bonum est legi Dei assuescere, & ideo octauo die à natiuitate infans circumcidebatur, vt ab ipsis incunabulis legis Dei rigorē assumeret; & si iugum Dei suaue est, & leue; consuetudine leuius & suauius fit. Si enim lex Domini nostræ naturæ cōsona est, consuetudo est altera natura. Hæc autem suauitas facit eum solitariè sedere, & mundo, & aliis tacere, sibi, & soli Deo loqui, & sic solitarius meditari, quomodo momētaneum hoc & leue tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pōdus operatur in nobis. Audiamus quoque D.

D. Bernard. Bernardum hunc locum exponentē sermone 1. in Festo Apostolorum Petri, & Pauli: Non erat (inquit Bernardus) ita solitarius ille, de quo sanctus Ieremias ait: *Bonum est viro, cùm portauerit iugum ab adolescentia sua, sedebit solitarius, & tacebit, quia leuauit se super se.* Non sedet, sed sedebit solitarius, cùm habuerit honorē singularitatis

illius,

illius, videlicet iudiciariæ potestatis insigne, quod sancti in terra possidebunt, cùm lætitia sempiterna erit eis. Quare? *Quia leuauit se super se.* Id est, cùm adolescens esset, & ætatis lubricæ sentiret ardores, senem induit, relinquens, quod non erat. *Leuauit se super se:* Quia non respexit ad se, sed ad illum, qui est super se. Sedebit enim, & tacebit ab strepitu diabolicarum suggestionum, ab strepitu carnalium desideriorum, ab strepitu mundi. Felix anima, quæ linguas istas non exaudit, audiat licèt; illa multo felicior, si tamen aliqua est, cui penitus non loquuntur.

Ponet in puluere os suum.] Theodoretus existimat, [*ponere in puluere os suum*] hoc loco esse non respondere ad conuitia, sed silere, ac si os esset plenum terra. Sed meo iudicio hîc apertè exprimitur habitus hominis humilis & abiecti, per pœnitentiam. Nã qui consideratione sui leuauit se super se, vt dominator sui cognoscit fragilitatem suam, & quòd puluis sit, in puluerem reuertendus, ponítq; in puluere os suum osculando matrem suam, vt pote terram, de qua sumptus est. *Superbi posuerunt in cœlum os suum,* Psal. 72. At humilis ponit in puluere os suum. Et hinc est consuetudo apud religiosos osculandi sæpe terram humilitatis causa. Diuus Hieronymus eodem ferè modo hunc locum explicat: Ille quippe, inquit sanctus Doctor, in puluere ponit os suũ, qui humiliter sentiens, fragilẽ se cognoscit, & de puluere se esse factũ; iterum in puluerem reuersurũ fatetur, dicẽs cũ Patriarcha Abrahã: *Loquar ad Dominum meum, cùm sim puluis, & cinis.* [*Si fortè sit spes.*] His enim & similibus exercitiis

Theod.

erigitur

erigitur spes euadendi à calamitatibus animæ, & corporis.

Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.]Qui ab adolescentia portauit iugum Domini, qui leuauit se super se, posuítque in puluere os suum, non solùm humilitate contentus erit, sed singulari quoque patientia præditus dabit percutienti se maxillam. Hoc fecerat idem

Ierem.c.20. Ieremias cap. 20. cùm à Sacerdote Phassur per-

Isai.c. 50. cussus est. Isaias quoque cap. 50. inquit: *Posuit faciem meam, tanquam petram durissimam, & scio, quoniam non confundar,* &c. *faciem meam non auerti ab increpantibus, & conspuentibus in me, corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus:*

Iob c.16. Iob cap. 16. inquit: *Expoliantes percusserunt maxillam meam, satiati sunt pœnis meis.* Id nos docuit

Matth.5. Christus Dominus Matthæi 5. dum inquit: *Si quis te percusserit in dextera maxilla, prabe & alte-*

2. Corint.12. *ram.* Et Paul. 2. Corint. cap. 12. laudat vehementer in hoc fidelium patientiam: *Sustinetis* (ait ille,) *si quis vos in faciem cadit.* Et meritò: quantò enim magis lex mundi alapam iniuriosam iudicat, tantò lex diuina magis sustinentes illam extollit.

Saturabitur opprobriis.] quibus scilicet, velut epulis delectabitur. Saturitas enim & auiditatem & copiam significat. Sic Apostoli Actor. 5.

Actor. 5. præ auiditate ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine IESV contumeliam pati.

„ Rupertus hoc loco habet in hæc verba: Quis „ autem hominum iugum paratior homine illo „ portauit, qui cùm in forma Dei esset, *non rapi-*

nam

nam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, vt inquit Paulus ad Philipp. 2. Ille ergo homo in exemplum patientiæ dabit percutienti se maxillam in horto captus à Iudæis, & in prætoriis ante tribunal Iudicum: imo & iuxta Isaiam, *dabit corpus suum percutientibus, & genas suas vellentibus, faciem suam non auertet ab increpantibus, & conspuentibus.* »» *Philip. 2.*

At quomodo saturabitur opprobriis, si in cruce consummationem victoriæ proclamans adhuc sitit maiora opprobria? Sic enim aliqui per admirationem intelligunt verbum illud, [*consummatum est*] quasi dicat: Iã calix passionis est exhaustus: Ego verò adhuc sitio. Credo equidem, quòd ideo Dominus noster in passione saturatus est opprobriis, quoniam non inuitus, sed propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, opprobria illa auidissimè sustinuit. Quare ad exemplum tantæ patientiæ Saluatoris demus libẽter pro nomine ipsius percutienti maxillam, & saturemur opprobriis, vt sempiternis bonis tandem ab ipso in cœlo satiari mereamur.

Caph.] *Quia non repellet in sempiternum Dominus.*

Caph.] *Quia si obiecit, & miserebitur secundùm multitudinem misericordiarum suarum.*

Caph.]

Caph.] *Non enim humiliauit ex corde, & abiecit filios hominum.*

REDDIT rationem, quare bonus sit Dominus sperantibus in eum, quia scilicet
Isai. 28. non repellet in finem. Hoc ipsum affirmat Isaias cap. 28. dicens: *Non in perpetuum triturans triturabit illum, nec vexabit eum rota plaustri.* Et Dauid
Psal. 76. Psal. 76. inquit: *Numquid in aeternum proiiciet Deus, & non apponet, vt complacitior sit adhuc?* To-
Tob. 3. biæ quoque 3. habetur: *Non delectaberis in perditionibus nostris, quia post tempestatem tranquillum facis.* [*In sempiternum.*] quoniam pœnitentibus tranquillitas pacis, & lux misericordiæ tandem effulgebit. [*Quia si abiecit, & miserebitur.*] In hoc apparet paternus amor, quo nos Deus diligit: percutit enim, & sanat, non vult mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur,
Iob.c. 5. & viuat. De illo inquit Iob cap. 5. *Ipse vulnerat,*
Deut. 32. *& medetur, percutit, & manus eius sanat.* Deut. 32. inquit Dominus: *Ego occidam, & ego viuere faciam; percutiam, & ego sanabo.* Et in persona ipsius,
Psalm. 88. inquit Dauid Psal. 88. *Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum, misericordiam autem meam non dispergam ab eis.*

Non enim humiliauit ex corde:] quoniam inuitus, & coactus punit: tactus enim dolore cor-
Genes. 6. dis intrinsecus, Genes. 6. inquit Dominus: *Delebo hominem, quem creaui.* Quæ verba per interrogationem legenda puto, quasi Deus dicat: Patientur viscera misericordiæ meæ hominē creatum à me, genitum ab spiritu meo, efformatum

manibus

manibus meis, à me ipso tam subitò deleri? Isai. ca. 7. ait: *in illa die radet Dominus in nouacula conducta caput, & pilos pedum, & barbam vniuersam.* Qua metaphora exprimitur desolatio Ierusalem futura. Quæres autem: quare non propria nouacula, sed conducta radet Dominus Ierusalem? Numquid deest nouacula in prætorio iustitiæ illius? Aut si deest, quare non emitur ad iustitiæ executionem? Respondeo, quia non ex corde humiliat Deus filios hominũ: vult enim, vt dum cõducitur nouacula, peccator resipiscat, atque ideò non radatur barba illius, Simili quoquo modo ait Dominus Deut. 32. *Si acuero vt fulgur gladium meum, & arripuerint iudicia manus mea, &c.* Quare autem acuitur gladius iustitiæ, nisi vt interim peccator fugiat ad misericordiam? Quoniam non ex corde humiliat Deus peccatores, & ideo antequam puniat, clamat ibidem: *vbinam sunt? Cessare faciam ex hominibus memoriam eorum*; vt istis vocibus perterrefacti fugiant peccatores, antequam ira Dei perueniat. Certum est autem, quòd ferire nequit is, qui clamoribus præmonet. Pro confirmatione huius sententiæ nota illustre argumentum sumptum ex Zacharia cap. 8. Vbi Sanctus vates Zacharias vidit impietatẽ Ierusalem inclusam amphora ore ipsius amphoræ massa plumbea obturato; quam amphoram duæ mulieres egredientes, & habentes alas milui, portabant in Babylonẽ. Quorsum ista? Si Dominus impietatem Ierusalem punire vult, quare non in medio eius, cùm secundùm omnes leges, vbi quis delinquit, puniri debeat? Etsi Babylonem ducitur:

Isai. 7.

Deut. 32.

Zachar. 8.

tur : quare non potiùs manibus Gigantum, vel militum, quàm mulierum, quarum gressus lentus esse solet ? Si in adiutorium auium alæ conceduntur, quare non aquilæ magnæ, & non milui parui? Respondeo, quia non ex corde humiliat Deus filios hominum: dum enim impietas ducitur Babylonem punienda, manibus mulierum fragili alarum auxilio, conuerti potest peccator ad Dominum: sicque euadere supplicium, & vltionem impietatis. Nota similiter, in gratiam huius discursus verba illa Isaiæ cap. 18.

Isai. c. 18. *In funiculis vanitatis, quasi vinculum plaustri trahunt peccatum.* Nam adeò Deus tardus est in puniendo, vt peccatum ad supplicium in plaustro lento gradu procedere iubeat, expectans patienter peccatores ad pœnitentiam: quia non ex

Genes. 3. corde humiliauit filios hominum. Denique Genes. 3. primum hominem humiliaturus veniebat Deus deambulans inter amœna paradisi vireta, vt interim à voce ipsius homo fugere possit. Videantur quæ 1. cap. diximus ad illa verba: *Tetendit arcum suum quasi inimicus.*

Lamed.] *Vt contereret sub pedibus suis omnes vinctos terræ.*

Lamed.] *Vt declinaret iudicium viri in conspectu vultus Altissimi.*

Lamed.] *Vt peruerteret hominem in iudicio suo, Dominus ignorauit.*

RAB.

RAB. Solomô ait priorem versiculum cum præcedenti cohærere, vt sit sensus: Non abiecit Deus, nec humiliauit filios hominum, vt Tyrannorum more conculcaret vinctos, hoc est, pauperes, iuxta illud Psalm. 88. *Exaudiuit pauperes Dominus, & vinctos suos non despexit*; Creditque Rab. Solomô per vinctos, peccatores astrictos sceleribus posse intelligi. Rab. Solomô Psal. 88.

Ignorat quoque Dominus in conspectu Altissimi in supremo diuini Iudicij tribunali declinare, hoc est, peruertere iudicium, causámque hominum tyrãnico more iudicare. Ideo namque Ioan. 5. Pater omne iudicium dedit filio, Ioan. 5. quia filius est sapientia Patris, quæ nec falli, nec fallere potest. Non reseruauit sibi pater iudicium, quia patri fortitudo tribuitur: Si autem fortitudine Deus iudicaret, omnes peccatores statim perderet. Non tribuitur quoque iudicium SPIRITVI SANCTO, cui diuinus amor appropriatur, quoniam si Deus in iudicando, amore duceretur, neminem profectò damnaret: non enim diuinus amor pateretur animas proprio sanguine redemptas æternis cruciatibus puniri. Iure igitur commisit Deus sapientiæ suę, hoc est, filio munus iudicandi, vt recta trutina, piissimo moderamine in conspectu Altissimi, iudicetur.

At si sapientia Dei iudicat, quomodo ignorat peruertere hominem in iudicio? Nam ignorantia imperfectionem significat. Respondeo, per hanc locutionem exprimi in Deo modum reprobationis alicuius rei. Sic Oseæ cap. 8. inquit Dominus: *Principes extiterunt, & non cognoui.* Osea 8.

O Et

Matth. 25. 2. Corint. 14. Et Matthæi 25. Virginibus fatuis dicitur: *Nescio vos.* Et 2. ad Corinth. 14. inquit Paulus: *Si quis ignorat, ignorabitur.* In quibus locis verbum *ignoro* & *nescio* quemdam reprobationis modum explicat, sicut è contrario *cognoscere* & *scire* modum approbationis significat. Psalm. 1. *Nouit Dominus viam iustorum.* Et Christus Dominus Ioã. 1. inquit: *Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas.* Dum igitur propheta inquit, quòd Deus ignorat peruertere hominem in iudicio, significat Deum non approbare; imò potiùs detestari maximè alicuius iudicium peruerti, & declinari. Vnde Isaias cap. 53. reprobans consilium Iudęorum in condemnando Christo Domino, inquit: *De iudicio sublatus est.* Quia scilicet ordo iudicialis processus, temporis, ac sententiæ omnino fuit peruersus; Quod dicimus Lusitanè: *Naõ se guardou com elle ordem, nem figura de Iuizo.*

Psalm. 1. Ioan. 1.

Isai. 53.

Mem.] *Quis est iste, qui dixit, vt fieret Domino non iubente?*

Mem.] *Ex ore Altißimi non egredientur, nec bona, nec mala.*

Mem.] *Quid murmurauit homo viuens; vir pro peccatis suis?*

INVEHITVR propheta in blasphemos, qui exagitati peccatis, negant diuinam prouidentiam, asserentes, Deum nemini bene aut malè facere

facere, sed omnnia temerè, casuque contingere. Miratúrque iure optimo propheta, quòd reperiatur homo viuens, qui ita murmuret. Quasi dicat: Si dæmon, aut irrationale animal hoc sibi persuaderet, tolerabile planè esset. At homo rationalis, super quem signatum est lumen vultus Domini, qui quotidie de manu eius experimentali scientia tot tantaque beneficia accipit, nullam prorsus blasphemiæ excusationem habere potest.

Esse autem in Deo prouidentiam; qua creaturas ordinat, & dirigit in proprios ipsarum fines (quod ad ciuilem, regiamque Monarchiam pertinet) est de fide, patétque ex illo Sapient. 6. *Æqualiter cura est illi de omnibus.* Et Sapient. 14. *Tua autem Pater prouidentia ab initio cuncta gubernat.* David quoque Psalm. 22. inquit: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit.* Et Psalm. 35. *Lætentur, & exultent gentes, quoniam iudicas populos in æquitate.* Et patet etiam ex illo Matth. 6. vbi inquit Christus Dominus: *Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester pascit ea. Considerate lilia agri,* &c. Si ergo fœnum agri Deus sic vestit, quantò magis vos modicæ fidei. Et Paulus Actorum 5. differens de Deo inquit: *In ipso viuimus, mouemur, & sumus.* Probatur verò Catholica veritas contra blasphemos, de quibus conqueritur Ieremias, ratione D. Thomæ 1. p. quæst. 22. art. 1. quoniam ordo rerum in suos fines particulares, atque in finem omnibus communem est à Deo, vt ex præcedentibus authoritatibus patet: Sed Deus est causa rerum per intellectum, & volun-

Sap. 6.
Sap. 14.
Psalm. 22.
Psal. 35.
Matth. 6.
Actor. 5.

tatem;ergo ratio & conceptio ordinis rerum in suos fines præexistit in mente diuina. Talis verò ratio & conceptio ordinis rerum in suos fines, est prouidentia. Est enim prouidentia pars prudentiæ, cuius proprium est ordinare res in fines, vt docet Arist. 6. Ethic. cap. 8. & 12. ergo absque dubio in Deo prouidentia est constituenda. Vnde manifesta hæresis condemnata in Concilio Bracharensi 1. cap. 9. est, affirmare, omnia casu aut fatali necessitate euenire. Aduersus quas hæreses, si placuerit, legatur August. lib. 5. de ciuitate Dei; Leo Papa in Epist. ad Astoricensem Episcopum, Gregorius Nicænus in libro de facto, Vvaldensis lib. 1. fidei antiquæ, Castro, & alij recentiores. Iure ergo iam suo tempore Ieremias conquerebatur de tam impudenti blasphemia, non aliam huius rei assignans causam, nisi duritiem & obstinationem peccatorum. Id enim significant verba illa: *Pro peccatis suis.*

Arist. 6. Ethic.

Conc. Brach.

August. Leo Papa. Greg. Nicen. Vvaldensis, & alij.

Nun.] *Scrutemur vias nostras, & quæramus, & reuertamur ad Dominum.*

Nun.] *Leuemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cælos.*

Nun.] *Nos iniquè egimus, & ad iracundiam prouocauimus: id circo tu inexorabilis es.*

Con

CONCLVDIT propheta suam concionem veluti perorando, obsecrans summis precibus populum, vt scrutetur vnusquisque vias suas, per quas ambulat; vtrùm ducant ad cœlum, an ad Tartarum? Et cùm inuenerit se à recto tramite deuiasse, reuertatur ad Dominum, quia ipse est via, veritas, & vita; ostiumque, per quod, qui non intrat, fur est, & latro. Item, vt corda nostra cum manibus leuemus ad Dominum eo modo, quem postea docuit Paulus ad Timoth. 2. ibi: *Volo vos orare in omni loco leuantes manus puras*, hoc est, nullis rapinis, nullis libidinibus, nullis impiis pugnis contaminatas, vt scilicet Deus non perhorrescat manibus suis nostras per auxilium leuare. Cor autem cum manibus leuat in cœlum, qui orationem operibus roborat. Reddit autem rationem propheta, ob quam Deus inexorabilis factus est; quia scilicet corda cum manibus ad cœlum Ierusalem non leuauit: quia cor illius non erat per veram pœnitentiam contritum, & humiliatum. Paraphrastes explicat: Nos rebellauimus, & contumaces fuimus, & propterea quòd non sumus reuersi ad te, tu nō demisisti; seu non pepercisti.

Timoth. 2.

Paraphrast.

Samech.] *Operuisti in furore, & percussisti nos: occidisti; nec pepercisti.*

Samech.] *Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio.*

Samech.] *Eradicationem, & abiectionem posuisti me in medio populorũ.*

ITERVM reddit Ieremias ad solitum planctum, & lamentum, easdemque calamitates diuersis verbis commemorat, quasi dicat cum Isaia cap. 59. *Iniquitates nostra diuiserunt inter nos, & Deum nostrum.* Iudæi quidem operuerunt ac velauerunt faciem Domini, vt eum absque misericordia alapis cederent. Deus quoque postea in desolatione Ierusalem, per Titum facta, etiã operuit in furore vultum suum, ne peccatorum calamitates videret, & ideo ad pietatem commoueretur. Sed nec hoc caret pietatis argumento: non enim oculi Domini videre sustinent homines cædi, vulneribusque affici. Hinc est, quòd cùm affirment grauissimi authores iudicium vniuersale nocte futurum, ego credam non tam hoc esse signum crudelatatis, quam magnum pietatis argumentum; quia scilicet Deus commotus pietate, noctis tenebris fortasse volet dirum spectaculum tegere: Per hoc quodammodo significans misericordes ipsius oculos videre non posse occisam innumeram hominum multitudinem, quam proprio liuore in cruce redemit.

Isai. 59.

Opposuisti nubem tibi.] peccatorum scilicet nostrorum. Nam quemadmodum nubes fit ex vaporibus è terra eleuatis; ita nubes peccatorum generatur è sceleribus, libidinibus, cæterisque terrenis affectibus repertis in homine, qui est terra. Et quemadmodum nubes in aëre condensata

densata inter terram & cœlum opponitur; ita nubes peccatorum opponitur quoque inter nos, & Deum nostrum impediens, ne oratio nostra transeat ad cœlum.

Eradicationem, & abiectionem posuisti me in medio populorum.] Explicat Ieremias paupertatem suam, quam superiùs viderat, dicens: *Posuisti me Domine in Babylone exulem à patria,* non tam abiectum, & eradicatum, pauperem, & contemptum, quàm, quasi per Antonomasiam ipsam abiectionem, & eradicationem, ita quòd non sit spes pullulandi, hoc est, reuertendi ab exilio radice auulsa.

Phe.] *Aperuerunt super nos os suum omnes inimici nostri.*

Phe.] *Formido, & laqueus facta est nobis vaticinatio, & contritio.*

Phe] *Diuisiones aquarum deduxit oculus meus in contritione filiæ populi mei.*

IAM hæc omnia ferè dixerat; aperuerunt autem inimici os suum super Ieremiam, vt more ferarum eum deuorarent, ita Dauid Psalm. 21. *Psalm. 21.* *Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens, & rugiens.*

Formido, & laqueus factus est nobis vaticinatio.] Lyra ita exponit: Vaticinatio Ieremiæ, & alio- *Lyra.*

rum prophetarum, cui non credidimus, deiecit nos in formidinem, laqueum, & contritionem.

D.*Thomas.* D. Thomas aliter hunc locum interpretatur in hunc modum: Formido, id est, causa formidinis ante captiuitatem, & laqueus in captiuitate: Contritio post captiuitatem nobis fuit vaticinatio falsorum prophetarum. In versione Pagnini, & Brixiani pro *vaticinatio* legitur, *vastatio.* Item Paraphrastes pro *formido* legit *fouea*; quasi sit sensus: Ex formidine fugientes vnum periculum, incidimus in aliud. Seu, vt explicat Figuerius: Dum Sedechias formidans seruitutem regis Babylonis rebellauit, incidit in captionem, foueamque, ac vastationem terræ. Dicere possumus, quod:

Pagninus. *Brixianus.* *Paraphrast.* *Figuerius.*

Incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim.

Vt est in prouerbio. Expositio tamẽ D. Thomæ inter alias videtur magis literalis.

Diuisiones aquarum deduxit oculus meus.] D. Gregorius 3. past. & com. super Psalm. 101. explicans hunc locum docet tantam requiri in verè pœnitentibus abundantiam lacrymarum, vt illæ guttatim diuidantur, sicut aquæ diuiduntur ad irrigandas diuersæ terræ partes pro industria hortulani. Tunc autem diuisiones aquarum deducimus, cùm singulis peccatis singulas lacrymas damus. Sic Hester 14. legitur, quòd regina omnia loca, in quibus lætari consueuerat, crinium laceratione compleuit. Dauid quoque Psalm. 118. *Oculi deduxerunt exitus aquarum, quia non custodierunt legẽ Domini.* Et Psal. 6. affirmat ille per singulos dies lacrymis stratum suum rigasse. D. quoq; Petrus ad galli cantũ quotidie

D.Gregor. *Hester 14.* *Psalm. 118.* *Psalm. 6.* *D.Petrus.*

tidie surgebat, vt crimina sua lacrymis lauaret; itavt, teste D.Clem. continuò in vultu haberet diuisiones, seu ductus aquarum. Duplices quidē sunt lacrymæ, aliæ dulces, aliæ amaræ. Dulces sunt, quæ ex affectu deuotionis erumpunt. Tales testatur Augustinus in suis confessionibus se effudisse, cùm psalleret in diuinis officiis: Flebam, inquit ille, vberrimè in hymnis, & canticis suauè sonantibus affectus vehementer vocibus Ecclesiæ, & fluebant lacrymæ, & bene mihi erat cum illis. Lacrymę autem amaræ sunt, quas peccator pro peccatis effundere debet. Tales fuerunt lacrymæ Dauid, Petri, Magdalenæ, & nostri Ieremiæ. Ieremias námque nō solùm hîc, sed alibi sępe lacrymas in abundantia fundebat, séque ipsum ad illas excitabat: Thren. 2. inquit: *Deduc quasi torrentem lacrymas*. Et cap. 9. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum*. Peccator quidem habet in se ipso profundissimum puteum, à quo lacrymas educere possit, nempe altissimam considerationem peccati mortalis, ex quo puteo riuos illos lacrymarum Magdalena deduxit, quibus pedes Domini abluit. Nam lacrymæ, quæ ex profundo cordis puteo deducuntur, totam priùs animam lauant, & cùm postea exeúnt per fontes oculorum, iam mundæ veniūt, & lauare pedes Domini possunt. Præterea hæ diuisiones aquarum ita peccata nostra scripta delent, vt ampliùs legi non possint à Deo. Quod Christus Dominus insinuauit Ioan. 8. dum peccata hominum digito scribebat in terra; ea enim, quę in puluere scripta sunt, si aqua aspergantur, statim delentur, & absterguntur;

D.Clemens.

D. August.

Threnor. 2. & 9.

Ioan. 8.

guntur;vel si leuis ventus insufflet, dissipantur, & disperguntur. Sic peccata, quæ contra nos à Deo scripta sunt, vna lacrymula delet, vnúmque suspirium propellit, tanquam dissipata à vento,ita vt amplius legi non possint.

Ain.] *Oculus meus afflictus est, nec tacuit, quòd non esset requies.*

Ain.] *Donec respiceret, & videret Dominus de cœlis.*

Ain.] *Oculus meus deprædatus est animam meam in cunctis filiabus vrbis meæ.*

AFFLICTVS erat oculus Ieremiæ continuatione,& pódere lacrymarum: seu,vt explicat Paraphrastes, lacrymis defluxit: nec enim tacuit;hoc est,cessauit à lacrymis, quæ licèt tacitæ preces sint, vt inquit D. Ambrosius, tamen suo modo efficaciter loquuntur. Causa autem tanti fletus in eo posita erat,quòd nó daretur requies à laboribus,sed iugiter cruciaretur propheta, donec respiceret de cœlo Dominus misericordiæ oculis.

Paraphrastes. *D. Ambros.*

Oculus meus deprædatus est animam meam.] Diuus Thomas ita explicat hunc locum: Oculus meus videns deprædationem terræ; deprædatus est animam meam, spoliás eam gaudio,& lætitia. Lyra sic: *Oculus meus sordidauit faciem meam*, in qua relucet vis animæ magis,quàm in cæteris

D. Thomas. *Lyra.*

cæteris corporis partibus, eò quòd omnes sensus sint in facie. Paraphrastes Chaldæus ita exponit:Fletus oculi mei ascendit, vt noceat animæ meæ propter desolationem regionis populi mei, & deturpationem filiarum Ierusalem. D. Hieronymus, & Rupertus existimant hoc loco reddi rationem à propheta, ob quam dixerit oculum suum afflictum fuisse, eò quòd non esset requies: quoniam scilicet cùm per iniuriam aspectus patefactus fuerit tentationi aditus, vix tranquillitatem inueniet animus turbatus, nisi illi subuenerit diuinæ pietatis intuitus; ab iniuria enim aspectus mortalium perditio ortum habuit. *Vidit mulier*, Genes. 2. *lignum, quòd esset pulchrum, aspectúque delectabile, & statim poma illius concupiuit.* Hinc omne malum Dauid 2.Regum cap.12.cum è solario vidit Bersabeth se lauantem.Etenim,vt inquit Ieremias cap.9.*Mors ingreditur per fenestras*, quas D. Bernardus affirmat esse sensus exteriores. Ciuitas obsessa ab inimicis, si in portis non habeat custodes, si ianuæ apertæ sint, quomodo hostium impetus & incursus reprimere poterit? Talis planè est anima nostra,cui si desint custodes in sensibus,fatigatio facili negotio deuastabitur. Sententia est medicorum rationi consona, quòd qui habet venas amplas atque extensas, morsus à venenoso serpente, facilè perit: venenum enim per amplam venam facilè discurrit vsque ad cor; non verò sic, qui eas angustas habet. Sensus ergo nostros quasi venas cōstringamus, ne venenum ab antiquo serpente propinatum facilè cor nostrum penetret, atque corrumpat.

Paraphrast. *D. Hier. Rupertus.* *Genes.2.* *2.Reg.12.* *Ieremias 9.* *Bernardus.* *Sentētia Medicorum.*

Pepigi

Iob 31. Pepigi fœdus cum oculis meis, inquit Iob 31. vt nec de virgine quidem cogitarem. Pepigit enim ille fœdus cum oculis suis, vt cogitationes cordis castè seruare posset, ne, sicut inquit *D.Hieron.* D.Hieronymus, priùs incautè aspiceret, quod post modum inuitus amaret. Iuuátque in huius rei argumentum eximia Christi Domini modestia, quæ tanta fuit, vt notetur ab Euangeli- *Ioan.*6. stis, quòd aliquando oculos subleuaret in turbas.

Sade.] *Venatione ceperunt me quasi auem inimici mei gratis.*

Sade.] *Lapsa est in lacum vita mea, & posuerunt lapidem super me.*

Sade.] *Inundauerunt aquæ super caput meum. Dixi: Perij.*

CVM hoc tertio capite Ieremias prophetico spiritu inducat personam Saluatoris, mirum non est, si quæ in sensu literali historico de se ipso, populóque Iudaico dixit; passioni Christi Domini in sensu literali prophetico accommodentur.

Venatione quidem velut venatores ceperunt Chaldæi exercitu suo fugientem regem Sedechiam, & omnes bellatores eius in planitie 4.*Reg. vlt.* Iericho, vt patet ex 4. Regum, cap. vlt. *gratis*, id est, absque causa, & ratione. Lapsa quoque est in lacum vita Ieremiæ, hoc est, in tetrum carcerem,

rem,vnde exire non posset, vt ipse quoque testatur, cap. 38. *Submiserunt Ieremiam in funibus in lacum, in quo non erat aqua, sed lutum, descenditque Ieremias in cœnum, & posuerunt lapidem super eum.* Paraphrastes explicat: Lapidauerunt me, seu miserunt lapides in me. Rab. Solomô asserit prophetasse Ieremiam hæc de Daniele, qui fuit de transmigratis in Babylonem, & fuit proiectus in lacum leonum,& lapis positus super os laci. vt habetur Daniel. 6. Verumtamen in sensu historico potiùs hic locus est intelligendus de ipso Ieremia, quàm de Daniele, vt patet ex ipsa historia. *Rab. Solomô.* *Dan.6.*

Cum Diuo Hieronymo,Ruperto,Paschasio, & aliis magnæ notæ authoribus dicamus quoque prophetam loqui de Christo Optimo Maximo in sua passione. Nam quòd Iudæi venatione ceperint Christum Dominum in horto Gethsemani, præter Euangelistas satis ad literam prophetauit Dauid Psal. 21. qui psalmus totus dicatus est passioni Domini: imò & habet pro titulo: *Psamus pro cerua matutina*: Licèt in alia versione legatur: *Psalmus pro susceptione matutina*: Appellatúrque iure optimo humanitas Christi Domini in sua passione *cerua matutina*; quoniam quemadmodum cerua, aut ceruus matutinus non impulsus venationibus venatorum sponte procedit; ita Christus Dominus in horto, Ioan. 18. sponte processit, dixítque Iudæis: *Quem quæritis?* Præterea ceruus matutinus elata fronte admiratus respuit hominem parantem sagittam in se: Christus quoque Dominus ad hāc similitudinem initio huius Psalmi, quasi admi *D. Hieron.* *Rupertus.* *Paschasius.* *Psalm. 21.* *Ioan. 18.*

admiratus de crudelitate Iudæorum irruentium in se cum gladiis,& fustibus clamat: *Deus Deus meus respice in me; quare me dereliquisti?* Iam autem in hoc Psalmo intueamur venationis apparatum. *Tribulatio*, inquit Dauid, *proxima est,& non est,qui adiuuet. Circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obsedit me*, &c. Quòd si de aucupio sermo sit, nomine Auis,

D. Hieron. teste Diuo Hieronymo ipse Dominus IESVS significatur, qui licèt in terra de Virgine matre natus sit, tamen cœlestia doctrina & exemplo semper petit; membráque sua fide & spe quasi duabus alis ad superna semper subleuat, dicens in Euangelio: *Regnum meum non est de hoc*

Iob.28. *mundo*. De hac Aue scriptum reliquit Iob 28. *Semitam ignorauit Auis*. Hæc Auis fortasse est aquila illa, quæ prouocat ad volandum pullos suos,id est,Iudæos,expãdens super eos alas suas, quæ dum voluit illos,sicut gallina congregare, infirmata est,& apprehensa.

Cyprianus. Cyprianus in Symbolo Apostolorum interpretatur de Christo verba illa: *lapsa est in lacum vita mea.*] Euidentissima, inquit ille, hæc de sepultura eius iudicia propheticis vocibus de-

Psal. 87. signata sunt.Dauid quidem Psal. 87.in persona Christi inquit:*Posuerunt me in lacu inferiori in tenebrosis, & in vmbra mortis.* Lapsa ergo est vita Christi in lacum, quando eius caro peruenit vsque ad mortis accubitum,cui superposuerunt lapidem, quando eo sepulto petierunt à Pilato, vt iuberet custodiri sepulchrum, ne fortè venirent discipuli, & furarentur eum; quibus cùm ipse responderet: habetis custodiam: Ite, custodite,

dite, ſicut ſcitis; Illi abeuntes munierunt ſepulchrum ſignantes lapidē cum cuſtodibus: Æſtimatus eſt autem Chriſtus Dominus cum deſcendentibus in lacum, Pſal. 83. *Et factus eſt ſicut homo ſine adiutorio inter mortuos liber.* *Pſal. 83.*

Inundauerunt quoque aquæ tribulationum non tam ſuper caput Ieremiæ, dum procul à patria mœſtus in Babylonis carcere detinebatur, quàm ſuper caput Chriſti Domini: in cuius perſona Dauid Pſal. 68. inquit: *Intrauerūt aquæ vſque ad animam meam, infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia.* Et Pſal. 143. *Eripe me, & libera me de aquis multis.* Canticorum quoque 8. dicitur; quòd aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem illius. Tunc verò, inquit D. Hieronymus, aquæ ſuper caput redemptoris inundauerunt, quando ſeditioſi populi Iudæorum perſecutionem mouentes, diuinitatem redemptoris detraxerunt. Caput verò Chriſti Deus eſt, vt teſtatur Apoſtolus, prima Corinth. ſecundo, illum videntes Iudæi dixerunt ad Pilatum Ioan. 19. *Nos legem habemus, & ſecundùm legem debet mori; quia filium Dei ſe fecit.* *Pſalm. 68.* *Pſal. 143.* *Cantic. 8.* *D. Hieron.* *1. Corint. 2.* *Ioan. 19.*

Coph.] *Inuocaui nomen tuum Domine de lacu nouiſſimo.*

Coph.] *Vocem meam audiſti: ne auertas aurem tuam à ſingultu meo, & clamoribus.*

Coph]

Coph.] *Appropinquaſti in die, quando inuocaui te : dixiſti ; ne timeas.*

IN lacu, hoc eſt, in carcere nouiſſimo, in quo ſe finire vitam credebat, inuocauit Ieremias nomen Domini, opémque illius petiuit, ne in præſenti neceſſitate auerteret aurem ſuam à ſingultu & clamore ipſius, cum ſemper ſolitus fuerit Deus clamantium vocem exaudire. Paraphraſtes hoc modo explicat vltimum verſiculum: Appropinquare feciſti angelum ad liberandum me. D. Hieronymus intelligit hunc locum de Chriſto Domino ad inferos deſcendente, & glorioſa ipſius reſurrectione.

Paraphraſtes. *D. Hieron.*

Res.] *Iudicaſti Domine cauſam animæ meæ, redemptor vitæ meæ.*

Res.] *Vidiſti Domine iniquitatem illorum aduerſum me : iudica iudicium meum.*

Res.] *Vidiſti omnem furorem : vniuerſas cogitationes eorum aduerſum me.*

TVNC Deus iudicauit cauſam Ieremiæ, cùm eum extraxit de profundo carceris lacu,

lacu, ostendens illum esse prophetam Domini. Obserua autem, quòd in Scriptura sacra verbum *iudicare* accipitur pro *patrocinari*. 1. Reg. cap. 25. *Benedictus Dominus, qui iudicas causam opprobrij mei* Ieremias 51. *Ego iudicabam causam tuam.* Isai. cap. 1. *Iudicate pupillo*, hoc est, defendite pupillos. Eâdē phrasi vtitur hoc loco propheta, quasi dicat: Quemadmodum huc vsque iudicasti causam meam, me protegens, & defendens, vt redemptor vitæ meæ, ita modò quæso, aspice consilia eorum, furoremque, quo me prosequuntur, ac proinde esto iudex inter me & illos; illos perdens, me autem defendens.

1. Reg. cap. 25. Ierem. 51. Isai. cap. 51.

Sin.] *Audisti opprobrium eorum Domine, omnes cogitationes eorum aduersum me.*

Sin.] *Labia insurgentium mihi, & meditationes eorum aduersum me tota die.*

Sin.] *Sessionem eorum, & resurrectionem eorum vide. Ego sum psalmus eorum.*

PETIT Ieremias à Domino, vt auribus percipiat cogitationes, verba, & opera, quibus inimici fremuerunt aduersus se. Per sessionem verò, & resurrectionem inimicorum, vult propheta notare continuationem conuitiorū, quibus afficiebatur: siue enim sederent, siue surgerent, miserum prophetā mordebant. Sic Dauid

Psal.138. Psalm. 138. inquit: *Domine probasti me, & cognouisti me, tu cognouisti sessionem meam, & resurrectionẽ meam*, id est: Tu cognouisti, quidquid ego cogito, quidquid molior, quidquid ago, siue sedẽs, siue surgens. Dicit autem: *Ego sum Psalmus eorũ:* iuxta illud quod iam superiùs dixerat: *Factus sum in derisum omni populo canticum tota die.*

Tau.] *Reddes ei vicem Domine iuxta opera manuum suarum.*

Tau.] *Dabis eis scutum cordis laborem tuum.*

Tau.] *Persequeris in furore tuo, & conteres eos sub cælis Domine.*

TOTA difficultas huius loci posita est in explicando 2. versiculo, circa cuius literalem sensum variæ sunt expositorum sententiæ. Rab. Solomô. Etenim, vt à Rabbinis ordiamur, Rab. Solomô per *scutum cordis* intelligit obdurationem, & obstinationem cordis. Rab. Dauid. Rab. Dauid habet: *Dabo eis dolorem cordis maledictionem tuam*, vt etiam vertit Pagninus. Pagninus. Rab. D. Ioseph ita explicat: Pones scutum in malis cogitationibus cordis ipsorum aduersum me, vt non possint exire in actum. Rab. D. Ioseph. Paraphrast. Figuerius. Paraphrastes verò sic: Dabis eis confractionem cordis, & fatigationem. Noster Lusitanus Figuerius sic exponit: Dabis eis apostema cordis, quod, vt ille notat, Lusitanè dicimus: *huã pasta no coraçaõ.* Paschasius. Paschasius ita allegorizat: Dabis eis scutum cordis, quia dum laborem passionis deriserunt, eodem cor suum texerunt, nec prædicationis iaculis

lis penetrari permiſerunt. D. Thomas eodem fere modo: Dabis(inquit)eis laborem tuum, id eſt, peccatum, in quo te laborare fecerunt; iuxta illud Iſai. 1. *Laboraui ſuſtinens ſcutum cordis*. Quæ eſt etiam expoſitio Dionyſij. Rupertus ait: Prima hæc erit redditio, vt obſcures, & claudas cordis oculos, ne cognoſcant te, quem cognoſcere merces piorum eſt. Laborabis ipſe, qui ad laborem miſiſti nos; laborabis, inquam, vſque ad mortem in peccatis eorum, & hoc erit eis ſcutum cordis, vt non credant in te, pro eo, quòd te adeò laboraſſe audierunt. Expoſitio Lyræ eadem fere eſt cum expoſitione Rab. Solomonis: legit enim in Hebræo, pro *ſcuto*, obdurationem cordis, additque Lyra: ideo *ſcutum cordis* appellari laborem Domini, quia Deus laborem ſeruorum ſuorum proprium reputat; eo loquendi modo, quo Actor. 9. clamauit: *Saule, Saule quid me perſequeris*? Perſecutionem enim fidelium ſuam dicit; etenim propter laborem & dolorem, quē Chaldæi influxerunt Iudæis timoratis & iuſtis, quorum multi erant inter captiuos; meruerunt, vt Deus ſubtraheret ab eis ſuum auxilium, & gratiam, & ſic in malis obdurarentur; & tandem à Perſis & Medis interficerentur; & ideo additur: *Perſequeris illos in furore tuo*.

D. Thomas. *Iſai. 1.* *Dionyſ.* *Rupertus.* *Lyra.* *Actor. 9.*

Audiamus vltimò D. Hieronymum hunc locum in ſenſu ſpirituali exponentem. Labor Domini (inquit ille) apparens inter homines, paſſibilis eius humanitas fuit, quam Iudæi ſuperbè ſapientes, dum diſcernerent, deſpexerunt, eúmq; immortalem credere dedignati ſunt, quem natura paſſibili mortalem viderent. Dum ergo eis


D. Hier.

„ Dominus vicem malorum operum redderet,
„ dedit illis ſcutum cordis laborem ſuum, quia
„ recto iudicio inde illos contra ſe ſuperbè obſti-
„ natos exhibuit; vnde ipſe pro nobis in infirmi-
„ tate laborauit. Laborem ergo Domini contra
„ eundem Dominum ſcutum cordis habuerunt,
„ qui ſuperbè ſapientibus eò deſpectius apparuit,
„ quò propter eos humilis fuit. Hæc Hieronymus.

Hector Pint. Illius verò familiæ ſectator Hector Pintus ſubtiliter quidem, ſed longè aliter eundem locum exponit: aſſerit enim, prophetam mentis oculis vidiſſe Deum humanum naturam aſſumentem, in illaque acerbiſſimos dolores ſuſtinentem; atque ita ſpiritu prophetico afflatum prorupiſſe in hæc verba: Tu Chriſte ſancte dabis homini-
„ bus laborem tuum, quem propter eos ſuſcepi-
„ ſti, vt ſit illis ſcutum cordis, quo in tentationi-
„ bus ſuis protegantur.

Ecce curſim authorum expoſitiones. Cùm autem in re ferè ænigmatica non ſit tam facilè literalem ſenſum exponere, vnuſquiſque eum, qui magis placuerit, ſequatur. Mihi quidem expoſitio Rab. Solomônis, & Lyræ magis literalis videtur D. Thomæ, & Dionyſij, & Ruperti; pia, D. Hieronymi, elegans. Hectoris Pinti, deuota. Quibus relictis iterum ad lamenta 4. capitis deueniamus.

CAPVT



CAPVT QVARTVM.

Aleph.] *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus: dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum.*



PLVRES expositorum intelligunt hunc locum de euersione templi Ierosolymitani, quod, quia totum erat inauratum, aurum appellatur: Quemadmodum Apoc. 21. Ciuitas dicitur aurum mundum simile vitro mundo; atque ita Paraphrastes habet: *Quomodo obscuratum est aurum Sanctuarij?* Quòd verò templum auro contectum esset, patet ex 3. Regum cap. 6. ibi: operuit illud, atque vestiuit auro purissimo; domum quoque ante oraculum operuit auro purissimo, & affixit laminas clauis aureis, nihilque erat in templo, quod non auro tegeretur; sed & totum altare oraculi texit auro; proindeque tanta erat pulchritudo huius templi vt eam à longè videns Dauid exclamauerit Psalm. 25. *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Postquam autem templum combustum fuit, omnis pulchritudo,

Paraphrastes.

3. Reg. cap. 6.

Psalm. 25.

& decor eius in nigredinem versus est; namque in vrbis euersione flammarum globis diripiebatur ardens templum, nec cœlum patebat vndante fumo. Aliqui per *aurum* intelligunt auream supellectilem vasorum aureorum, quibus sacra domus decorabatur. At D. Thomas per *aurum* intelligit diuinarum rerum cognitionem, quam olim Iudæi habebant; iuxta illud Psalm. 147. *Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis.* Et Psal. 75. *Notus in Iudæa Deus.* Atque ita aliqui per aurum intelligunt sapientiam. In cuius rei argumentum videmus, quòd caput sponsi, in quo sunt absconditi omnes cælestes thesauri, Canticor. 5. dicitur aurum optimum; & D. August. explicans illa verba Psalm. 71. *Viuet, & dabitur ei de auro Arabiæ*, affirmat per hoc prophetatum esse sapientes huius mundi in Christum credituros. Pro qua explicatione facit locus Prouerb. 8. *Accipite prudentiam sicut argentum, & sapientiam, sicut aurum probatum.* Hanc autem sapientiam, diuinarúmque rerum cognitionem per peccatum Iudæi amiserunt, incidentes in obscurationem intellectus, & mētis caliginem: insuper & in captiuitatis acerbissimæ tenebras exteriores; iuxta illud Isaiæ 5. *Captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam*; quam quidem ruinam iure optimo poterat propheta lamentari illis verbis. [*Quomodo obscuratum est aurum?*] Rupertus in eadem est explicatione, inquit enim: Quomodo cæcitas contigit illis? Quomodo obscurati sunt oculi eorum, ne videant? Hector Pintus credit à propheta deplorari amissam gloriam Ierusalem, ac

si

D. Thom. — *Psalm. 147.* — *Psalm. 75.* — *Cant. 5.* — *D. August.* — *Prou. 8.* — *Isai. 5.* — *Hector Pint.*

si dicat: Quomodo versa est in ignominiam gloria nostra? Quàm citò Ierosolymæ splendor, eiusque nominis claritas, & amplitudo ad opprobrium, & abiectionem reciderunt? D. Hieronymus per *aurum*, excellentiam, & splendorem sanctitatis intelligit. Alij verò in auro charitatem agnoscunt, iuxta illud Apoc. 3. *Suadeo tibi emere aurum ignitum.* Quæ omnia Iudæi miserando peccatorum lapsu amiserunt. *D. Hier.* *Apoc. 3.*

Sententia verò Rab. Solomônis, quam sequitur Lyra, & quæ mihi magis placet, est Ieremiam scripsisse istud caput lamentando mortem Iosiæ Regis, & quoniam Iosias erat caput populi; ideo prophetam lamentando mortem Regis sæpissime transiisse ad populi miseriam deplorandam propter connexionem capitis ad membra, & è conuerso. Adducor autem, vt ita credam, ex verbis 2. lib. Paral. cap. 35. quo in loco ita habet sacer textus: *Vniuersus Iuda, & Ierusalem luxerunt Iosiam, Ieremias* maximè, cuius omnes cantores, atque cantatrices vsque in præsentem diem lamentationes super Iosiam replicant, & quasi lex obtinuit in Israel. Cùm autem in præcedentibus capitulis Threnorum nulla fiat mentio mortis Iosiæ, nec de illa aliquod lamentum reperiatur; deprehenditur totam hanc materiam ad hoc quartum caput fuisse reseruatam. *Rab. Solom.* *Lyra.* *2. Par. 35.*

Fuit autem Iosias rex sanctissimus, cuius memoria, vt habetur Ecclesiast. 49. in compositione odoris facta opus pigmentarij in omnium ore quasi mel indulcabitur eius memoria, & vt musica in conuiuio vini. Ipse est directus diuini- *Ecclesiast. 49.*

tus in pœnitentiam gentis,& tulit abominationes impietatis. Non fuit autem Phase in Ierusalem à diebus Samuelis prophetæ, simile illi; quod 8. anno regni sui fecit Iosias sacerdotibus, & Leuitis,& omni Iudę,& habitantibus Ierusalem. Cùm autem pergeret, vt dimicaret cum rege Ægypti in campo Maggedo, ibi à sagittariis vulneratus est, indeque asportatus in Ierusalem mortuus, & sepultus est in Mausoleo patrum suorum. Filij autem eius scilicet Ioachaz, Ioachim, & Sedechias fuerunt pessimi, vt patet ex 4. Regum capite 13. & 14. & ideo per mortem Iosiæ fuit mutatus regni status in peius, quod Ieremias admirabundus lamentatur, dicens. [*Quomodo obscuratum est aurum.*] id est, Iosias non tam pulchritudine corporis,quàm animi splendore, & ornatu, sub quo florebat aurea ætas, quomodo illius morte proh dolor omnia tetra caligine sunt obducta. [*Mutatus est color optimus.*] Quia tempore Iosiæ floruit diuinus cultus, & post mortẽ idolatria pullulauit in filiis eius: in Hebræo habetur: *Mutata est massa bona*; per quã intelligitur Iosias, ex quo tãquã ex optima massa processerunt filij mali; ꝓtulit terra bona vrticas, vepres, & spinas fecit arbor bona fructus malos; & ideo sequitur.

4. Reg. cap. 13. & 14.

Dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum.] id est, Iosiæ filij, qui dicuntur lapides, vel propter obdurationem in malum, vel propter fortitudinem in præliis. Dicuntur autem lapides sanctuarij, quia processerunt de patre sanctissimo. Fuerunt velut dispersi, quia Ioachaz catenis ligatus ductus fuit in

Ægyptum, & ibi mortuus. Ioachim interfectus, & proiectus fuit extra portas ciuitatis Ierusalem. Sedechias verò ex oculatus, est ductus in Babylonem, & ibi mortuus.

Qui per aurum intelligunt templum, per lapides cōsequenter intelligunt materialiter ipsos lapides templi, qui per plateas fuerunt dispersi, atque dissipati. Paraphrastes habet. *Diffusæ sunt Margaritæ sanctæ*, Rupertus per *lapides* intelligit ipsos Iudæos; ait enim, cùm illi fuissent lapides Sanctuarij, & ex illis cœpta fuisset ædificari domus Domini, quomodo dispersi sunt in capite omnium platearum! Perdiderunt quippe suum locum & gentem, & proiecti sunt spiritualiter foras de Sanctuario Domini, ita vt dispersi sint in capite omnium platearum. Corporaliter quoque in omnes gentes dispersi sunt, & capturi in ciuitatibus paruas plateas ad habitandum sibi locauerunt. Quod nos in Lusitania nostris temporibus vidimus: habebant enim Iudæi destinatas plateas, quas iudiciarias vocabant, quibus vel iam nunc sunt spoliati. Qui pulchras allegorias in hac materia optauerit, legat Diuum Hieronymum, & Paschasium.

Paraphr.
Rupertus.

Beth.] *Filij Sion inclyti, & amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuū figuli.*

FILII Iosiæ appellantur filij Sion, quoniam in monte Sion vbi erat domus regia, nutriti fuerunt.

fuerunt. [*Inclyti.*] propter generis splendorem, vel propter morum suauitatem, quibus ab optimo parente fuerunt imbuti. [*Amicti auro primo.*] quo principes in indumentis vti solent. Aurum autem primum appellabatur illud, quod de Saba, vel de Ophir afferebatur. Hi quomodo reputati sunt, viliter abiecti; sicut fragmenta vasorum testeorum, quæ proiiciuntur in locum immũdum. Námque hîc vas figuli phrasi Scripturę accipitur pro re futili; nulliúsq; momenti, iuxta illud Isaiæ cap. 30. *Eminuetur, sicut conteritur lagena figuli contritione perualida.* Et Ieremiæ 19. *Sic conteram populum istum, sicut conteritur vas figuli.* Figuerius per filios Sion intelligit duces, ciues, nobilésque Ierusalem, quorum vultus olim, vt inquit Paraphrastes, erant similes auro, vt aurúmque resplendebant.

Isai. 30. *Ieremiæ 19.* *Figuerius.*

Diuus Hieronymus, & Rupertus in sensu spirituali explicant hunc locum de filiis Ecclesiæ à perfectione status degenerantibus; in eâdémque sententia est Diuus Bernardus de verbis Apostoli, sermone 2. Filij Sion (inquit) illius videlicet speculatiuæ ciuitatis, quam ædificauit Dominus, vt videatur in gloria sua, Filij supernæ Ierusalem, quæ libera mater nostra est. [*Inclyti.*] propter dignitatem conditionis. [*Amicti auro primo.*] per diuinitatis imaginem: quomodo ex his nos reputati sumus in vasa testea? Quomodo degenerauimus in hæc lutea, & fragilia corpora? Hæc Bernardus. At si sancti patres iam suis temporibus inclytos Ecclesiæ filios à pristino statu decidisse plorabant, quanto iure nos quoque in dies magis, ac magis

D. Hieron. *Rupertus.* *D. Bernard.*

miseran

miserandam ruinam & calamitatem eorumdem filiorum Ecclesiæ lamentari debemus ? Quis enim sine lacrymis cõsiderare poterit antiquos illos Ecclesiæ pastores charitate ignitos ? Quis sine cordis dolore poterit in memoriam reuocare eam charitatem antiquorum, qua vnũ erat cor credentium; illam sacramentorum frequentiam, cùm quotidie communicabant, illã sacerdotum reuerentiam, quando illi præferebantur imperatoribus; illam asperrimam pœnitentiam publicam, illam inoffensam vitam, qualem scribit Plinius dicens: *Nullum malum fieri à Christianis, nisi quòd die, ac nocte suum Christum laudarent?* *Plinius.* Vide, obsecro, quàm hæc omnia sint hodie diuersa ! Equidem existimo videre statuam illam Danielis cap. 20. cuius caput & initium est, aurum charitatis: deinde argentum resonans miræ doctrinæ: postea æs, ferrúmque fortitudinis, ac tolerantiæ: Sed iam finis illius adest, vt pote pedes resoluti in lutum, opus manuum figuli. Attamen consideremus vel in hoc creatoris misecordiam; destructi enim resoluimur in lutum, ex quo diuinus figulus nos potest iterũ restaurare, non in vasa contumeliæ, sed in vasa honoris, & gloriæ. *Daniel. 20.*

Ghimel.] *Sed & Lamiæ nudauerunt mammam, lactauerunt catulos suos: filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto.*

EXAC

EXAGGERAT propheta crudelitatem Ierusalem erga proprios filios comparatione ferarum, quæ lactant catulos suos. Quid autem sit Lamia, non liquidò constat. Aliqui Hebræi suspicantur, Lamiam vnam esse de furiis infernalibus, quæ per antiphrasim in lingua Hebræa Parcæ dicuntur, eò quòd nemini parcant. Alij Lamiã, strygem interpretantur; iuxta

Isai. 34. illud Isaię 34. *Et occurrent dæmonia, Onocentaurus, & Pilosus clamabit alter ad alterũ ibi cubauit La-*

D. Hieronym. *mia, & inuenit sibi requiem.* Diuus Hieronymus allegorizans hunc locum, ait, Lamiam habere faciem humanam, sed corpus bestiale: imò &

Chrysost. Dri. authore Chrysostom. Drione, Lamia vberibus, totóque pectore adeò speciosa est, vt nullo pictoris ingenio fingi queat. In qua etiam opi-

Paschasius. nione est Paschasius, Lyra, & Hector Pintus.

Lyra. *Hector Pint.* Rupertus inquit, Lamiam esse monstrum, cor-

Rupertus. rupto vocabulo à Laniando dictum, quod ta-

Rab. Solomô. men naturalem erga fœtus suos habet affectũ. Rab. verò Solomô, per Lamiam intelligit draconem fœminam, quæ quanuis crudelis producit, ac exerit, denudátque mammam de medio vaginæ, seu thecæ suæ, qua mammam tegit, ne fortè filiolus videns eam operculo contectam, retrocedat, & fame pereat. De illa non meminit Aristoteles, nec Plinius, cùm egissent de historia, & natura animalium; vnde suspicor potius Lamiam esse monstrum nó intentum à natura, quàm naturale animal. Quidquid verò illa sit, hic est sensus huius loci: Omne genus animantium reptilium, bestiarúmque terræ: imo & Lamiæ à laniando dictæ, quæ non tam animalia,

quàm

quàm monstra creduntur, naturalem erga catulos suos habent affectum, & pietatem. At filia populi mei, hoc est, Synagoga, crudelis nimiùm, nec sâltem mammam nudauit infelicissimis catulis suis, ideóque cum struthione merito potest comparari.

Plinius lib. 10. naturalis historiæ cap. 10. struthionem vocat Camelum altitudine equum superantem; imò & celeritate incurrendo, cùm pennas alarum habeat, nec Auis est, nec à terra tollitur, naturaliter caluet, & vtrinque vt homo palpebras habet: est miræ stoliditatis, ita vt in tanta corporis altitudine, cùm colla frutice occultauerit, latere se existimet; &, vt inquit hoc loco Rupertus, tantæ támque obliuiosæ crudelitatis est, vt cùm plurima oua ponat, proiecta in arena relinquat; nec vt inquit Lyra, est solicita de fotu ouorum, & de educatione pullorum. Ad quod alludit Iob ca. 39 quando inquit: *Derelinquit oua sua in terra, tu forsitan in puluere calefacies ea*? Obliuiscitur, quòd pes conculcet ea, aut bestia agri conterat. Hoc animal Lusitanè vocamus: *Ema*. Illud inquiunt Hesichius & Eucherius esse symbolum hæreticorum, & nefariorùm hominum, qui artificio simulationis eruditi, videntur habere sapientiæ & contemplationis pennas: volare tamen non possunt. Eam ob causam sunt huiusmodi animalia in veteri lege prohibita capit. 11. Leuit. & Deuter. 14. cum illísque comparat Iob homines crudeles, & immanes cap. 30. *Frater* (inquit) *fui draconum, & socius struthionum.*

Rupertus. *Lyra.* *Iob 39.* *Hesichius.* *Eucherius.* *Leuit. 11.* *Deut. 14.* *Iob. cap. 30.*

Dicitur igitur Ierusalem crudelis, quasi struthio

thio in deserto, quoniam cùm esset mater, simplicem plebeculam, quam ad æternam debebat fouere salutem, in puluere perditionis dereliquit. Vel loquitur de crudelitate matrum, quæ coxerunt, & comederunt filios dimittentes reliquias eorum militibus; nec lacte nutriebant illos, fortè propter defectum nutrimenti; ex quo generatur lac, & ideo sequitur: *Adhæsit lingua,* &c.

Daleth.] *Adhæsit lingua lactentis ad palatum eius in siti: paruuli petierũt panem, & nõ erat, qui frangeret eis.*

DEFICIENTE lacte in vberibus matrum, quod paruuli suggerent adhærebant eorum linguæ ad palatum, vt fit in magna siti præ ariditate. Nota autem, quòd non dicit propheta: Non erat panis, sed non erat, qui frangeret panem: quoniam deficiente pietate totum panem, quem inueniebant, sibi reseruabant matres. Cætera verò, quæ in hanc sententiam dici possunt, explicauimus cap. 3. ad illa verba: matribus suis dixerunt.

He.] *Qui vescebantur voluptuosè, interierunt in viis: qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.*

QVI

QVI lautis & exquisitis cibis nutriti fuerant, fame contabescentes in viis publicis interierunt; qui induebantur olim, dum Ierusalem staret, sericis vestibus crocei coloris, postea in Babylone captiui ad pedes equorum in præsepibus eorum amplexati sunt stercora: pro culcitris enim ad cubandū illis erat sterquilinium. Diuus Thomas affirmat, miseros Hebræos amplexatos fuisse stercora ad cibum. Namque, vt inquit Iob cap.6. *Animæ esurienti etiam amara videntur dulcia* Rab. verò Solomô, quem sequitur Lyra, potiùs intelligit hunc locum de accubitu, quàm de cibo. Diuus Hieronymus ita habet in hunc locum: Qui sunt, qui vescebantur voluptuosè, nisi Iudæi illi, qui semper terrenis concupiscentiis & seculi voluptatibus dediti erant, & pro cibo, & potu sæpius murmurabant, dicentes Numer. 11. Moysi: *Quis dabit nobis ad vescendùm carnes? Recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique, & cæpe, & allia: anima nostra arida est, nihilque aliud respiciunt oculi nostri, nisi Man. Ipsi verò interierunt in viis, quia in lata, & speciosa via, quæ ducit ad mortem exterminati sunt.*

D. Thomas. *Iob c.6.* *Rab. Solomô.* *D. Hieron.* *Numer. 11.*

Hoc loco satis depictam videmus Lusitanorum superbiam de solio ad stercora deiectam. Quæ enim alia natio aliquando voluptuosiùs nutriuit filios suos in croceis, & ciborum varietate, quàm Lusitania? Sed quos ita enutriuit & educauit, vidit postea elapsis annis Maurorū pedibus conculcatos, & equorum stercora amplexantes, si nō ad cibum, saltem ad cubandum.

Quam

Quam quidem recordationem, quoniam infandum iubet renouare dolorem, mittamus.

Vau.] *Et maior effecta est iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum; quæ subuersa est in momento, & non ceperunt in ea manus.*

INIQVITAS Ierosolymorum, siue idolatriam consideremus, propter quam ciuitas fuit desolata à Chaldæis, siue sacrilegium crucifigentium Christum Dominū, propter quod à Tito fuit postea omnino destructa, ex suo genere maior fuit peccato Sodomorum: quoniam peccatum Hebræorum fuit peccatum infidelitatis & ingratitudinis erga Deū, quod omnium maximum est. Peccatum Sodomorum, fuit contra naturam; peccatum Hebræorum contra authorem naturæ. Peccatum Sodomorum, licèt fuerit brutale; quia per illud homo priuatur vsu rationis, & assimilatur iumentis insipientibus, & similis fit illis, tamen est peccatum carnis procedens à fragilitate illius, proindéque licèt sit maximæ infamiæ, tamen ex sua natura est leuius. Vnde Christus Dominus Matthæi 11. inquit. *Terra Sodomorum mitius erit in die iudicij, quam tibi.*

Matth. 11.

D. Thom. Dinus Thomas hoc loco per peccatum intelligit pœnam peccati; vt sit sensus: Maior fuit pœna iniquitatis meæ, quàm pœna Sodomorū.

Nam

Nam Sodoma momento temporis fuit subuersa, nec diuturnos labores, sicut Ierusalem passa est; malum enim quò diuturnius, eò acerbius.

Et non ceperunt in eo manus.] Dionysius & Paschasius ita explicant: Sodomitæ non dederunt eleemosynas: iuxta illud Ezechielis 16. *Egeno, & pauperi manum non porrigebant, non extendebant manus suas ad opera misericordiæ, quæ extinguit, & operit multitudinem peccatorum.* Lyra ita explicat: Non ceperunt eam manus aduersariorum. Sodoma enim per angelos Ierusalem per Chaldæos fuit subuersa. *Dionys.* *Paschasius.* *Ezech. 16.* *Lyra.*

Ego verò per manus intelligo exercitum hostilem, qui manus appellatur; iuxta illud Deut. 33. *Manus eius pugnabant pro eo.* Et Actor. 12. *Misit Herodes rex magnus, quosdam de Ecclesia vt affligeret,* &c. Atque ita Ieremias comparans calamitates Ierusalem, & Sodomæ ad inuicem inquit illam hostium manibus fuisse obsessam, & deuastatam; non ita verò Sodomam. *Deuter. 33.* *Actor. 12.*

Non est prætereunda hoc loco elegantissima expositio Ruperti in sensu aliquantulum allegorico: Legimus, inquit ille, quòd in Sodoma, dum apud iustum Loth hospitaretur Dominus, vallauerunt domum à puero vsque ad senem omnis populus simul, & dixerunt: Educ viros huc, vt cognoscamus eos. Magna iniquitas: *sed non ceperunt in ea manus*, id est, non vsque ad effectum operis progressum est scelus; iniquitas autem populi ciuitatis meæ quousque progressa est? Cùm hospitaretur in ea, & pascha celebrasset Dominus, vallauerunt eum, exeuntes cum gladiis, & fustibus, & eum, quem in Sodoma *Rupertus.*

non ceperunt manus,ceperunt, comprehenderunt, illuserunt, & flagellauerunt. Vnde maior est iniquitas Ierusalem peccato Sodomorum.

Zain.] *Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte: rubicundiores ebore antiquo, sapphyro pulchriores.*

NAZARÆI erant in veteri lege viri sancti segregati ab hominibus, Deo dicati, vt patet ex toto cap. 6. Numerorum. A vino, & omni, quod inebriare poterat, ex præcepto abstinebant: nouacula non transibat per caput illorum: omni tempore consecrationis non ingrediebantur super mortuum, nec super patris, matris, ac sororis funere contaminabantur, quia consecratio Dei super caput eorum erat. Votum Nazaræorum non erat perpetuum, sed interdum ad tempus. Vnde 1. Machab. cap. 3. opem à Deo impetrare desiderans Iudas Machabæus dicitur, quòd suscitauit Nazaræos, qui impleuerant dies. Illo voto tam masculi; quàm fœminæ constringi poterant, vt ex prædicto capite patet. Christus quoque Dominus Nazaræus vocatur, non tam appellatione patriæ, in qua natus est, quàm professione status, & excellentis vitę perfectione, iuxta illud Pauli ad Hebræos 7. *Talis decebat, vt nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus est.*

Num. 6. *1. Machab. 3.* *ad Hebr. 7.*

Vt autem propheta ostendat sequenti versu

famem,

famem, luctum, & squallorem Nazaræorum in vrbis obsidione, priùs depingit pristinum eorum statum, & pulchritudinem: erant enim Nazaræi candidi, & rubicundi, ex candore verò & rubore perfecta ac elegans pulchritudo corporis resultat. Vnde Galenus in arte parua inter signa optimæ complexionis innumerat colorem ex rubore candoreque concretum. Plato quoque in lib. de Repub. pagina 406. ait candidos Deorum filios iam olim appellari solitos ob huius coloris præstantiã. Et Tibullus lib. 3. Elegiarum Eleg. 4. describens pulcherrimam adolescentis formam, qui ei per quietem apparuerat, ita canit; *Galenus.* *Plato.* *Tibullus.*

Candor erat, qualem præfert Latonia Luna,
Et color in niueo corpore purpureus.

Et, vt omittamus profana, Nicephorus Ecclesiasticæ historiæ lib. 1. cap. 4. loquens de effigie ac lineamentis Christi Domini, & Deiparæ virginis, asserit eorum faciem fuisse candidissimam, modicè roseam, seu rubicundam. Talem quippe Cantic. 5. commendabat sponsa, sponsi pulchritudinem. *Candidus, & rubicundus est dilectus meus*: candidus scilicet per innocentiam: rubicundus per passionem. Tantùm autem placuit dilectissimo sponso hæc connexio colorum, atque varietas, vt vel diem natiuitatis suæ multorum Martyrum Stephani, Ioannis, & sanctorum innocentium roseo sanguine voluerit circum ornare. Imò & Iulianus apostata, fertur ex consilio martyres strangulasse, ne fuso sanguine super albedinem innocentiæ pulchriores in conspectu Domini redderentur. Rupertus inquit *Niceph.* *Cant. 5.* *Iulianus apostata.* *Rupertus.*

meritò prophetam comparasse innocentiam Nazaræorum cum niue,& lacte simul,quoniam in niue sola est candoris pulchritudo, in lacte cum nitore est saporis dulcedo: parũ enim erat fuisse candidiores niue,nisi fuissent, & nitidiores lacte:id est, parum fuisset propria sibi munditia candidos esse, nisi venientibus ad se per sermonem suum gustum præbuissent dulcedinis æternæ;sed & cùm candidi, & nitidi essent,passionibus superadditis quendam purpureum traxerunt ruborem. Nã ludibria, & verbera experti sunt,insuper & vincula,& carceres;lapidati sunt,secti sunt;tentati sunt,mortui sunt. Hæc Rupertus.

Nix quidem,& lac naturali fulgent candore, per quem naturalis animæ pulchritudo designatur à lumine naturali deriuata: ebur autem est os, siue dens castissimi animalis, quale est elephans;imò,vt inquit D.Gregorius, vetustate ex albo rubescit; per quod significatur species, & color, quem ex habitu, & longo exercitio virtutum animus acquirit. Sapphyrus est lapis pretiosus,qui,teste Plinio lib.37.naturalis historiæ, est coloris aerei aureis punctis collucens. Vnde Ecclesia,quia tota cælestis est, qualem Ioannes in cœlo Apoc.cap.11.& de cœlo Apoc. cap.21. descendentem vidit, saphyrina appellatur. Et Exod. 24. Deus Israel habebat sub pedibus suis quasi opus lapidis sapphyrini,& quasi cœlũ,cùm serenum est.Talis autem erat Nazaræorum pulchritudo, vt ipsi quasi cœlum stellis ornatum viderentur.Atque ita Paraphrastes habet;velut sapphyrus vultus,seu facies eorum.Nota autem hoc

D.Gregor. *Plinius.* *Apoc.11.* *Apoc.21.* *Exod.24.* *Paraphrastes.*

hoc loco virtutem patrimoniæ. Nam, cùm Nazaræi abstinerent à vino,& ab aliis ciborum deliciis; tamen præ cæteris hominibus nitidiores apparebant. Quod etiam videre licet in Dan.c. 1.& aliis pueris, qui quando Babylone pro obseruantia legis paternæ cibos regios neglexerunt, contenti leguminibus ad vescendum, & aqua ad bibendum, vultus habebant nitidiores, & corpulentiores præ cæteris pueris, qui cibo regio nutriebantur. *Dan.1.*

Heth.] *Denigrata est super carbones facies eorum, & non sunt cogniti in plateis: adhæsit cutis eorum ossibus: aruit, & facta est quasi lignum.*

ECce qualis mutatio præ tribulationis magnitudine. Venusta enim corporis pulchritudo,& elegantia Nazaræorum super carbones denigrata est:seu,vt habet Paraphrastes, obscurata est à nigredine exilij, & captiuitatis; ita vt præ deformitate oris non essent cogniti in plateis animam exhalantes inter aliorum cadauera. Cutis eorum,quæ olim carnis pinguedine nitebat, absumpta carne adhærebat ossibus. Talem se pingebat Iob cap. 14. *Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum, & derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos.* Dicitur autem facies denigrata super carbones phrasi Scripturæ, qua exprimitur mæstitia vultus.Nahun 2.c. *Facies eorū sicut nigredo ollæ.* Et Ioel c.2. *Omnes vultus redigētur in ollam.* Dicitur etiam cutis arida quasi lignum, *Paraphrast.* *Iob 14.* *Nahum 2.c.* *Ioel 2.*

quia instar ligni consumpto honore arescebat. Etenim qui zelo Dei accensus considerauerit fideles huius temporis, non poterit non sumere lamentationes ex ore Ieremiæ,& illius lacrymis iterum deplorare Ecclesiæ calamitatem. Sunt enim fideles huius temporis respectu Nazaræorum Ecclesiæ primitiuæ quasi de incendio cinis, vt inquit Isaias cap. 33. Quid enim fuit primitiua Ecclesia, nisi fornax centuplum accensa? Quid primi fideles, nisi carbones incensi, quos angelus Apoc. 8. sparsit super terram, vt eam igniret illo igne, quem Christus Dominus cap. 12. venit mittere in terram, quemque postea diuinus amor descendens in figura ignis, & spiritus vehementis excitauit, spargens omnem teporem, ac cinerem. A facie huius ignis exardescentis, vt inquit Dauid Psal. 19. Apostoli veluti carbones succensi sunt, vt impleretur, quod dictum est per Abdiam ca. 1. *Erit domus Iacob ignis, & domus Ioseph flamma.* At non reperitur modò in Ecclesia, vt nuper dicebamus, nisi cinis tantũ ex illo, qui præcessit, igne: Campus vbi Troia fuit, denigrata est super carbones facies Christianorũ: non sunt agniti in plateis. Etenim quis agnoscet fideles illos, quorum erat cor vnum, anima vna? Nunc verò & fratres inter se pugnát. Quis agnoscet eos, qui ad multas leucas eleemosynas pro pauperibus alendis mittebát? Núc ad eorum ianuas pauperes pereunt fame. Antea quotidie cõmunicabant, modo vix in anno. Filij Sió inclyti quomodo versi sunt in vasa testea,& eorũ pulchritudo super carbones denigrata est?

Isai. 33. *Apoc. 8.* *Cap. 12.* *Psalm. 19.* *Abdias c. 2.*

Teth.]

Teth.] *Melius fuit occisis gladio, quàm interfectis fame: quoniam isti extabuerunt consumpti à sterilitate terræ.*

QVI gladio interfecti sunt, quàm breuissimè legibus naturæ satisfecerunt; At qui fame consumpti sunt à sterilitate terræ, lenta tabe, & morte diuturna deficiebant. Iam autem, vt inquit Ecclesiast. cap. 34. *Melior est mors, quàm vita amara.* Dnde Iudith. 7. dicitur: *Sit finis vester breuis in ore gladij, qui lõgior efficitur in ariditate sitis.* *Ecclesiast. 34.* *Iudith 7.*

Iod.] *Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos: facti sunt cibus earum in contritione filiæ populi mei.*

OMNIA, quæ in hanc sentẽtiã dicere possumus, sunt iam à nobis alibi sæpe dicta, maximè ad illa verba: *Ergóne comedent mulieres fructum suum paruulos ad mensuram palmæ?*

Caph.] *Compleuit Dominus furorem suum; effudit iram indignationis suæ, & succendit ignem in Sion, & deuorauit fundamenta eius.*

QVANDO completa est malitia Ierusalẽ, cõpleuit Dominus super eã furorẽ, sicut cõpleta erant peccata Amorrhæorũ, quãdo deleti sunt. Lyra existimat, verba ista posse referri ad *Lyra.*

tempus Antichristi, & persecutionem illius, quę posterior erit, cæterisque grauior, proindeque furor Domini appellatur. Sed cùm propheta ad literam de vtraque desolatione Ierusalem loquatur, non est cur ad persecutionẽ Antichristi recurramus. Effudit verò Dominus iram indignationis suæ, quam veluti repressam misericordiæ manibus continebat, & quoniam ciuitas ingrata fundamentum, quod est Christus, non recepit; meritò à fundamentis igne deuorata est, iuxta illud quod antea Christus Dominus flens, prædixerat, Lucæ 19. *Non relinquetur in te lapis super lapidem.*

Luc. 19.

Lameth.] *Non crediderunt reges terræ, & vniuersi habitatores orbis: quoniam ingrederetur hostis, & inimicus per portas Ierusalem.*

QVONIAM Ierusalem non tam munitione murorum, quàm Dei auxilio vallata, & angelorum præsidio circumsepta erat, nec reges terræ, nec habitatores orbis sibi persuadere poterant, fore vt aliquando ingrederetur hostis eam vrbem, cuius seras portarum Dominus confortauerit, & pacem posuerit fines eius. At quoniam auersa est à Deo, recessit ab ipsa omne pręsidiũ, & facta est in prædam hostiũ, Non crediderunt autẽ Ieremiæ annuncianti vrbis vastitatem per manus Chaldæorũ futuram: non crediderũt postea Christo Domino, Mat. 23. dicẽti: *Veniet*

Matth. 23.

Veniet super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidistis inter templum, & altare. Et Lucæ 19. non crediderunt ipsi Domino, cum lacrymis clamanti: *Venient dies in te, & circundabunt te inimici tui vallo,* &c. quibus omnibus non crediderunt: imò & Christum occiderunt, & occidendo, mensuram patrum suorum impleuerunt. *Luc.19.*

Mem.] *Propter peccata prophetarum eius, & iniquitates sacerdotum eius, qui effuderunt in medio eius sanguinem iustorum.*

QVÆ de peccatis prophetarum Ierusalem hoc loco dicere possemus, videantur cap. 7. ad illa verba: *Prophetæ tui viderunt tibi falsa, & stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiam reuocarent.* Per sacerdotes autem intelliguntur hîc sacerdotes idolorum, qui immolauerunt filios suos & filias suas dæmoniis, & effuderunt sanguinem innocentũ; quem sacrificauerunt sculptilibus Chanaam. Enimverò, vt iam sæpè præsupposuimus, prior desolatio Ierusalem accidit propter peccatum idololatriæ. Et iure optimo. Námque Deus Optimus Maximus in veteri lege solum sanguinem hircorum, & taurorum; ac cineres vitulorum, ab hominibus postulabat, nec vnquam passus est hu

sacerdotum, necesse est, vt consequenter per cæcitatem, de qua hîc loquitur, spiritualem cæcitatem mentis intelligamus. Atque ita D. Hieronymus habet in hunc modum: Per inertiam doctorum tenebris ignorantiæ ex cæcitate errauerunt in plateis turmæ plebium; quia dum se ad illecebras tradunt voluptatum, rectū callim non tenent diuinorum præceptorum, Et benè dicitur: [*Polluti sunt sanguine:*] quia sanguine lentorum operum contaminati sunt commixtione, cúmque non possent recto tramite incedere; tenuerunt lacinias suas, hoc est, aliorum ducatum expectabant, vt eorum actuum exemplis quasi quibusdam laciniis tracti gressum imitentur præcedentium. Hæc Diuus Hieronymus. Rupertus verò inquit: Idcirco errauerunt cæci in plateis, vt exemplo Sodomorum non possent inuenire ostium, quia polluti sunt sanguine eius, qui, dicit Ioan. 1. *Ego sum ostium.* Cúmque non possent tenere (subintellige eum) tenuerunt lacinias suas; id est: Cùm veram non apprehenderunt iustitiam, inanes cæremonias sectati sunt. Diuus Thomas in sensu quoque spirituali explicat hunc locum, dum inquit: Errauerunt cæci in plateis, quia, vt inquit diuina Sapientia cap. 2. *Excæcauit eos malitia eorum.*

D. Hieron. — *Rupertus.* — *Ioan. 1.* — *D. Thomas.* — *Sapient. c. 2.*

Samech.] *Recedite polluti, clamauerunt eis: recedite, abite, nolite tangere: iurgati quippe sunt, & commoti: dixerunt*

dixerunt inter gentes, non addet vltrà, vt habitet in eis.

QVONIAM hic locus tanquam appendix ex superiore procedit, eadem in explicatione illius est varietas. D. Thomas affirmat, quòd hîc ponit propheta ciuium captorum irrisionem ab hostibus illatã; & primò improperatur eis profanatio Sãctorum, ac si clamarent hostes: *Recedite ô Iudæi de loco Sancto: Nolite ô polluti, & immundi tangere sancta.* Similiter Dionysius credit, hæc verba esse Chaldæorum per irrisionem obiurgantium Iudæos, & dicentium: Nunc non potestis euadere manus nostras, qui contactum gentium despexistis: atque ita gentiles dicebant: non adducet vltra Dominus, vt inhabitet in medio Iudæorum: imò verò eos finaliter relinquet. Rab. D. Ioseph, hoc modo explicat: Cùm cognouerunt gentes causam angoris Iudæorum, hoc est, magnitudinẽ peccati ipsorum iudicauerunt, & sibi persuaserunt fore, vt nunquam ampliùs reuerterentur, de exilio, vt inhabitarent in terra sua, sed perpetuò exularent ab ea. Figuerius credit hîc exprimi verba admonentium cæcos in hunc modum: Cauete ô cæci, ne hâc eatis: abstinete vos ab hac via, qua pergitis, ne in sanguinis lutum, quo plateæ stagnant, incidatis. In cuius expositionis obsequium affert Paraphrastem, ita hũc locum exponentem: Declinate ô cæci à polluto. Lyra ait hæc esse verba diuitum repellentium pauperes, eo quòd ex illis nullum lucrum temporale reporta

D. Thomas.

Dionysius.

Rab. D. Ioseph.

Figuerius.

Paraphrast.

Lyranus.

non ceperunt manus, ceperunt, comprehenderunt, illuserunt, & flagellauerunt. Vnde maior est iniquitas Ierusalem peccato Sodomorum.

Zain.] *Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte: rubicundiores ebore antiquo, sapphyro pulchriores.*

NAZARÆI erant in veteri lege viri sancti segregati ab hominibus, Deo dicati, vt patet ex toto cap. 6. Numerorum. A vino, & omni, quod inebriare poterat, ex præcepto abstinebant: nouacula non transibat per caput illorum: omni tempore consecrationis non ingrediebantur super mortuum, nec super patris, matris, ac sororis funere contaminabantur, quia consecratio Dei super caput eorum erat. Votum Nazaræorum non erat perpetuum, sed interdum ad tempus. Vnde 1. Machab. cap. 3. opem à Deo impetrare desiderans Iudas Machabæus dicitur, quòd suscitauit Nazaræos, qui impleuerant dies. Illo voto tam masculi; quàm fœminæ constringi poterant, vt ex prædicto capite patet. Christus quoque Dominus Nazaræus vocatur, non tam appellatione patriæ, in qua natus est, quàm professione status; & excellentis vitę perfectione, iuxta illud Pauli ad Hebræos 7. *Talis decebat, vt nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus est.*

Num. 6. *1. Machab. 3.* *ad Hebr. 7.*

Vt autem propheta ostendat sequenti versu famem,

mem, luctum, & squallorem Nazaræorum in :bis obsidione, priùs depingit pristinum eo- um statum, & pulchritudinem: erant enim Na- aræi candidi, & rubicundi, ex candore verò & ibore perfecta ac elegans pulchritudo corpo- is resultat. Vnde Galenus in arte parua inter si- na optimæ complexionis innumerat colorem x rubore candoreque concretum. Plato quo- que in lib. de Repub. pagina 406. ait candidos Deorum filios iam olim appellari solitos ob huius coloris præstantiã. Et Tibullus lib. 3. Ele- giarum Eleg. 4. describens pulcherrimam ado- lescentis formam, qui ei per quietem apparue- rat, ita canit: *Galenus.* *Plato.* *Tibullus.*

Candor erat, qualem præfert Latonia Luna,
Et color in niueo corpore purpureus.

Et, vt omittamus profana, Nicephorus Eccle- siasticæ historiæ lib. 1. cap. 4. loquens de effigie ac lineamentis Christi Domini, & Deiparæ vir- ginis, asserit eorum faciem fuisse candidissi- mam, modicè roseam, seu rubicundam. Talem quippe Cantic. 5. commendabat sponsa, sponsi pulchritudinem. *Candidus, & rubicundus est dile- ctus meus*: candidus scilicet per innocentiam: ru- bicundus per passionem. Tantùm autem placuit dilectissimo sponso hæc connexio colorum, at- que varietas, vt vel diem natiuitatis suæ multo- rum Martyrum Stephani, Ioannis, & sanctorum innocentium roseo sanguine voluerit circum ornare. Imò & Iulianus apostata, fertur ex con- silio martyres strangulasse, ne fuso sanguine su- per albedinem innocentiæ pulchriores in con- spectu Domini redderentur. Rupertus inquit *Niceph.* *Cant. 5.* *Iulianus apostata.* *Rupertus.*

meritò prophetam comparasse innocentiam Nazaræorum cum niue,& lacte simul,quoniam in niue sola est candoris pulchritudo, in lacte cum nitore est saporis dulcedo: parū enim erat fuisse candidiores niue,nisi fuissent, & nitidiores lacte:id est, parum fuisset propria sibi munditia candidos esse, nisi venientibus ad se per sermonem suum gustum præbuissent dulcedinis æternæ;sed & cùm candidi, & nitidi essent,passionibus superadditis quendam purpureum traxerunt ruborem. Nā ludibria, & verbera experti sunt,insuper & vincula,& carceres;lapidati sunt,secti sunt,tentati sunt,mortui sunt. Hæc Rupertus.

Nix quidem,& lac naturali fulgent candore, per quem naturalis animæ pulchritudo designatur à lumine naturali deriuata: ebur autem est os, siue dens castissimi animalis, quale est elephans;imò,vt inquit D.Gregorius, vetustate ex albo rubescit, per quod significatur species, & color, quem ex habitu, & longo exercitio virtutum animus acquirit. Sapphyrus est lapis pretiosus,qui,teste Plinio lib.37.naturalis historiæ, est coloris aerei aureis punctis collucens. Vnde Ecclesia,quia tota cælestis est, qualem Ioannes in cœlo Apoc.cap.11.& de cœlo Apoc. cap.21. descendentem vidit, saphyrina appellatur. Et Exod. 24. Deus Israel habebat sub pedibus suis quasi opus lapidis sapphyrini,& quasi cœlū,cùm serenum est.Talis autem erat Nazaræorum pulchritudo, vt ipsi quasi cœlum stellis ornatum viderentur.Atque ita Paraphrastes habet;veluti sapphyrus vultus,seu facies eorum.Nota autem hoc

D.Gregor. *Plinius.* *Apoc.11.* *Apoc.21.* *Exod.24.* *Paraphrastes.*

hoc loco virtutem patrimoniæ. Nam cùm Nazaræi abstinerent à vino,& ab aliis ciborum deliciis; tamen præ cæteris hominibus nitidiores apparebant. Quod etiam videre licet in Dan.c. 1.& aliis pueris, qui quando Babylone pro obseruantia legis paternæ cibos regios neglexerunt, contenti leguminibus ad vescendum, & aqua ad bibendum, vultus habebant nitidiores, & corpulentiores præ cæteris pueris, qui cibo regio nutriebantur. *Dan.1.*

Heth.] *Denigrata est super carbones facies eorum, & non sunt cogniti in plateis: adhæsit cutis eorum ossibus: aruit, & facta est quasi lignum.*

ECce qualis mutatio præ tribulationis magnitudine. Venusta enim corporis pulchritudo,& elegantia Nazaræorum super carbones denigrata est:seu,vt habet Paraphrastes, obscurata est à nigredine exilij, & captiuitatis; ita vt præ deformitate oris non essent cogniti in plateis animam exhalantes inter aliorum cadauera. Cutis eorum,quæ olim carnis pinguedine nitebat, absumpta carne adhærebat ossibus. Talem se pingebat Iob cap. 14. *Pellis mea consumptis carnibus adhæsit os meum, & derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos.* Dicitur autem facies denigrata super carbones phrasi Scripturæ, qua exprimitur mæstitia vultus. Nahun 2.c. *Facies eorũ sicut nigredo ollæ.* Et Ioel c.2. *Omnes vultus redigẽtur in ollam.* Dicitur etiam cutis arida quasi lignum, *Paraphrast.* *Iob 14.* *Nahum 2.c.* *Ioel 2.*

quia instar ligni consumpto honore arescebat.
Etenim qui zelo Dei accensus considerauerit fideles huius temporis, non poterit non sumere lamentationes ex ore Ieremiæ,& illius lacrymis iterum deplorare Ecclesiæ calamitatem. Sunt enim fideles huius temporis respectu Nazaræorum Ecclesiæ primitiuæ quasi de incendio ci-
Isai.33. nis, vt inquit Isaias cap.33. Quid enim fuit primitiua Ecclesia, nisi fornax centuplum accensa? Quid primi fideles, nisi carbones incensi,
Apoc.8. quos angelus Apoc. 8. sparsit super terram, vt eam igniret illo igne, quem Christus Dominus
Cap.12. cap.12.venit mittere in terram,quemque postea diuinus amor descendens in figura ignis, & spiritus vehementis excitauit,spargens omnem teporem, ac cinerem. A facie huius ignis exardes-
Psalm.19. centis, vt inquit Dauid Psal.19. Apostoli veluti carbones succensi sunt,vt impleretur, quod di-
Abdias c.1. ctum est per Abdiam ca.1. *Erit domus Iacob ignis, & domus Ioseph flamma.* At non reperitur modò in Ecclesia,vt nuper dicebamus, nisi cinis tantũ ex illo, qui præcessit,igne: Campus vbi Troia fuit, denigrata est super carbones facies Christianorũ:non sunt agniti in plateis.Etenim quis agnoscet fideles illos, quorum erat cor vnum, anima vna? Nunc verò & fratres inter se pugnãt. Quis agnoscet eos, qui ad multas leucas eleemosynas pro pauperibus alendis mittebãt? Nũc ad eorum ianuas pauperes pereunt fame. Antea quotidie cõmunicabant,modo vix in anno. Filij Siõ inclyti quomodo versi sunt in vasa testea,& eorũ pulchritudo super carbones denigrata est?

Teth.]

Teth.] *Melius fuit occisis gladio, quàm interfectis fame: quoniam isti extabuerunt consumpti à sterilitate terræ.*

QVI gladio interfecti sunt, quàm breuissimè legibus naturæ satisfecerunt; At qui fame consumpti sunt à sterilitate terræ, lenta tabe, & morte diuturna deficiebant. Iam autem, vt inquit Ecclesiast. cap. 34. *Melior est mors, quàm vita amara.* Dnde Iudith. 7. dicitur: *Sit finis vester breuis in ore gladij, qui lõgior efficitur in ariditate sitis.* *Ecclesiast. 34. Iudith 7.*

Iod.] *Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos: facti sunt cibus earum in contritione filiæ populi mei.*

OMNIA, quæ in hanc sentẽtiã dicere possumus, sunt iam à nobis alibi sæpe dicta, maximè ad illa verba: *Ergóne comedent mulieres fructum suum paruulos ad mensuram palmæ?*

Caph.] *Compleuit Dominus furorem suum; effudit iram indignationis suæ, & succendit ignem in Sion, & deuorauit fundamenta eius.*

QVANDO completa est malitia Ierusalẽ, cõpleuit Dominus super eã furorẽ, sicut cõpleta erant peccata Amorrhæorũ, quãdo deleti sunt. Lyra existimat, verba ista posse referri ad *Lyra.*

tempus Antichristi, & persecutionem illius, quę posterior erit, cæterisque grauior, proindeque furor Domini appellatur. Sed cùm propheta ad literam de vtraque desolatione Ierusalem loquatur, non est cur ad persecutionẽ Antichristi recurramus. Effudit verò Dominus iram indignationis suæ, quam veluti repressam misericordiæ manibus continebat, & quoniam ciuitas ingrata fundamentum, quod est Christus, non recepit; meritò à fundamentis igne deuorata est, iuxta illud quod antea Christus Dominus flens; prædixerat, Lucæ 19. *Non relinquetur in te lapis super lapidem.*

Luc. 19.

Lameth.] *Non crediderunt reges terræ, & vniuersi habitatores orbis: quoniam ingrederetur hostis, & inimicus per portas Ierusalem.*

QVONIAM Ierusalem non tam munitione murorum, quàm Dei auxilio vallata, & angelorum præsidio circumsepta erat, nec reges terræ, nec habitatores orbis sibi persuadere poterant, fore vt aliquando ingrederetur hostis eam vrbem, cuius seras portarum Dominus confortauerit, & pacem posuerit fines eius. At quoniam auersa est à Deo, recessit ab ipsa omne pręsidiũ, & facta est in prædam hostiũ. Non crediderunt autẽ Ieremiæ annuncianti vrbis vastitatem per manus Chaldæorũ futuram: non crediderũt postea Christo Domino, Mat. 23. dicẽti:

Matth. 23.

Veniet

Veniet ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terram, à ſanguine Abel iuſti vſque ad ſanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidiſtis inter templum, & altare. Et Lucæ 19. non crediderunt ipſi Domino, cum lacrymis clamanti: *Venient dies in te, & circundabunt te inimici tui vallo,* &c. quibus omnibus non crediderunt: imò & Christum occiderunt, & occidendo, menſuram patrum ſuorum impleuerunt. Luc. 19.

Mem.] *Propter peccata prophetarum eius, & iniquitates ſacerdotum eius, qui effuderunt in medio eius ſanguinem iuſtorum.*

QVÆ de peccatis prophetarum Ieruſalem hoc loco dicere poſſemus, videantur cap. 7. ad illa verba: *Prophetæ tui viderunt tibi falſa, & ſtulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiam reuocarent.* Per ſacerdotes autem intelliguntur hîc ſacerdotes idolorum, qui immolauerunt filios ſuos & filias ſuas dæmoniis, & effuderunt ſanguinem innocentũ; quem ſacrificauerunt ſculptilibus Chanaam. Enimverò, vt iam ſæpè præſuppoſuimus, prior deſolatio Ieruſalem accidit propter peccatum idololatriæ. Et iure optimo. Námque Deus Optimus Maximus in veteri lege ſolum ſanguinem hircorum, & taurorum; ac cineres vitulorum, ab hominibus poſtulabat, nec vnquam paſſus

est humanum sanguinem sibi immolari, vsque adeo vt Abraham in filium Isaac irruentem per manus angeli in monte visionis impediret: è contrariò verò sacerdotes idolorum non nisi filiorum sanguine contenti erant, albásque suas puerorum cruore maculabant: iuxta illud Ieremiæ 2. *In albis tuis inuentus est sanguis animarum pauperũ, & innocentũ.* Et Ezech. 16. habetur: *Tulisti filios tuos, & filias tuas, quas generasti mihi, & immolasti eis.* Nunquid non est parua fornicatio? D. Hieronymus allegorizás hunc locum, inquit: In Ecclesia quoque Dei propter peccata prophetarum, & iniquitates sacerdotum eius portarum spiritualis Ierusalem patet introitus, quoniam per ignauiam prædicatorum, & negligentiam sacerdotum Dei, qui non curant populo annuntiare viam Dei, & compescere eum à peccatis, hostis malignus per sensus exteriores aditum in animam inuenit, & occasionem habet per diuersas fraudes eam seducendi.

Ezech. 16. *D. Hieron.*

Nun.] *Errauerunt cæci in plateis: polluti sunt sanguine: cúmque non possent intrare, tenuerunt lacinias suas.*

PErdifficilis est expositio huius loci, quapropter referam modos, quibus illum doctores explanant. Paraphrastes quidem ita explicat: vagabantur cęci per plateas, inquinabantur sanguine interfectorum gladio, & quia cernere

Paraphrastes.

nere non poterant, appropinquabant vestibus suis Rabbi Solomô ita: Nutauerunt cæci in plateis, quando pedes eorum mergebantur sanguine occisorum, quos impij interficiebant in platea, atque adeo ita polluti erant sanguine occisorum, vt qui ad ipsos appropinquarent, non possent tangere vestes eorum, proindéque clamarent: *Recedite polluti*; & in hac expositione est etiã Rabbi D. Ioseph, Dionysius verò hoc modo interpretatur hunc locum: Sacerdotes idolorum; & Pseudoprophetæ suis vitiis obcæcati, & tempore ingressus Chaldęorum, fame ac miseriis obscurati, polluti sunt sanguine iustorum, quem fuderunt, vel sanguine proprio, cùm occiderentur ab hostibus, cúmque non possent effugere, tenuerunt lacinias suas, id est, fimbrias vestimentorum præ rabie, & doloris magnitudine. Diuus Thomas inquit posse intelligi hunc locum de illis qui corporaliter exoculati sunt capti ab hostibus, qui domos per se intrare non poterant, nisi ductoris fimbrias tenerent. Cui expositioni maximè adhæret Hector Pintus. Figuerius, cùm multas referat opiniones, & per *lacinias*, quasi in sensu plano conquiescens, lasciuias intelligat, asserit, quòd illi sacerdotes, & Pseudoprophetæ à lasciuiis & voluptatibus non cessabant.

Rab. Solomô. Rab. D. Ioseph. Dionysius. D. Thom. Hector Pint. Figuerius.

Ego verò in tanta expositorũ varietate, nihil quod placeat, inueniẽs, adhęreo potiùs aliquorũ sanctorũ expositione; qui nõ nisi in sensu spirituali hæc verba explicanda existimant. Nã, cùm superiùs ꝓpheta assignasset pro causa euersionis Ierusalẽ peccata prophetarũ, & iniquitates

sacer-

sacerdotum, necesse est, vt consequenter per cæcitatem, de qua hîc loquitur, spiritualem cæcitatem mentis intelligamus. Atque ita D. Hieronymus habet in hunc modum: Per inertiam doctorum tenebris ignorantiæ ex cæcitate errauerunt in plateis turmæ plebium; quia dum se ad illecebras tradunt voluptatum, rectũ callim non tenent diuinorum præceptorum, Et benè dicitur: [*Polluti sunt sanguine:*] quia sanguine lentorum operum contaminati sunt commixtione, cúmque non possent recto tramite incedere; tenuerunt lacinias suas, hoc est, aliorum ducatum expectabant, vt eorum actuum exemplis quasi quibusdam laciniis tracti gressum imitentur præcedentium. Hæc Diuus Hieronymus. Rupertus verò inquit: Idcirco errauerunt cæci in plateis, vt exemplo Sodomorum non possent inuenire ostium, quia polluti sunt sanguine eius, qui, dicit Ioan. 1. *Ego sum ostium.* Cúmque non possent tenere (subintellige eum) tenuerunt lacinias suas; id est: Cùm veram non apprehenderunt iustitiam, inanes cæremonias sectati sunt. Diuus Thomas in sensu quoque spirituali explicat hunc locum, dum inquit: Errauerunt cæci in plateis, quia, vt inquit diuina Sapientia cap. 2. *Excæcauit eos malitia eorum.*

D. Hieron. *Rupertus.* *Ioan. 1.* *D. Thomas.* *Sapient. c. 2.*

Samech.] *Recedite polluti, clamauerunt eis: recedite, abite, nolite tangere: iurgati quippe sunt, & commoti:*

dixerunt

dixerunt inter gentes, non addet vltrà, vt habitet in eis.

QVONIAM hic locus tanquam appendix ex superiore procedit, eadem in explicatione illius est varietas. D. Thomas affirmat, quòd hîc ponit propheta ciuium captorum irrisionem ab hostibus illatã; & primò improperatur eis profanatio Sãctorum, ac si clamarent hostes: *Recedite ô Iudæi de loco Sancto: Nolite ô polluti, & immundi tangere sancta.* Similiter Dionysius credit, hæc verba esse Chaldæorum per irrisionem obiurgantium Iudæos, & dicentium: Nunc non potestis euadere manus nostras, qui contactum gentium despexistis: atque ita gentiles dicebant: non adducet vltra Dominus, vt inhabitet in medio Iudæorum: imò verò eos finaliter relinquet. Rab. D. Ioseph, hoc modo explicat: Cùm cognouerunt gentes causam angoris Iudæorum, hoc est, magnitudinẽ peccati ipsorum iudicauerunt, & sibi persuaserunt fore, vt nunquam ampliùs reuerterentur, de exilio, vt inhabitarent in terra sua, sed perpetuò exularent ab ea. Figuerius credit hîc exprimi verba admonentium cæcos in hunc modum: Cauete ô cæci, ne hâc eatis: abstinete vos ab hac via, qua pergitis, ne in sanguinis lutum, quo plateæ stagnant, incidatis. In cuius expositionis obsequium affert Paraphrastem, ita hûc locum exponentem: Declinate ô cæci à polluto. Lyra ait hæc esse verba diuitum repellentium pauperes, eo quòd ex illis nullum lucrum temporale reporta

D. Thomas.

Dionysius.

Rab. D. Ioseph.

Figuerius.

Paraphrast.

Lyranus.

Hector Pint. reportarent. Hector Pintus facilè se ab hac difficultate expediens, ait, verba esse eorum, qui percussis insultabant, dicentes: *Recedite à nobis ô polluti, abite, nolite nos tangere.*

Ego verò, cùm existimem Ieremiam hoc loco orationem suam conuertisse ad falsos prophetas Ierusalem, tribuentem peccatis eorum, maximéque superbiæ, vastitatem ciuitatis, magis amplector expositionem Diui Hieronymi, *D. Hieron.* quæ ita habet: *Recedite polluti*: est vox superborũ magistrorum, qui pecus, quod crassum est, de grege assumunt; & quod debile, proiiciũt, quod infirmum, non consolidant, & ægrotum non sanant. Recedite, inquiunt, polluti, recedite, abite, nolite nos tangere, nolite in aliquo nobis communicare, insanabilia sunt vulnera vestra; & incurabiles plagæ: non estis digni communione Christiana, vt vltra in vobis inhabitet SPIRITVS SANCTVS. Hæc D. Hieronymus. De *D. Bernard.* iis quoque prophetis inquit Bernardus, quòd sunt pastores luporum, & non ouium, cùm demittant oues in pascua scabie pereuntes: imò & illas à se repellant.

Phe.] *Facies Domini diuisit eos, non addet, vt respiciat eos: facies sacerdotum non erubuerunt, neque senum miserti sunt.*

HVc vsque egerat propheta de peccatis prophetarum, & sacerdotum, respectu populi;

populi; nunc agit de peccatis populi respectu sacerdotum, asseritque, populum proiectũ fuisse à facie Domini, & inter se seditionibus diuisum, quoniam facies sacerdotum non erubuerunt Iudæi, neque senum miserti sunt. Per faciem autem Domini sumitur hîc vultus Dei iratus, Hebraismo scripturæ sacræ vsitatissimo, Genes. 16. *A facie Saræ Dominæ fugio.* Leuit. 2. *Ponam faciem meam contra eum.* Psal. 33. *Vultus Domini super facientes mala.* Et alibi sæpe. Cùm autem vultus sacerdotis, Dei vultum in terra repræsentet, meritò vultus Domini eos à se repellit, qui per ignominiam vultus sacerdotis non erubuerunt, imò despexerunt. [*Diuisit.*] scilicet in diuersas terras, & dispersit, vt explicat Lyra. Quæ est etiam expositio Rab. Solomonis, iuxta illud Psal. 105. *Leuauit manũ suam super eos, vt prosterneret eos in deserto, & vt deiiceret semen eorum in nationibus, & dispergeret eos in nationibus.* [*Diuisit.*] id est, separauit à natali solo. Potest etiam per diuisionem intelligi seditio, per quam Respub. in varias partes scinditur. Quæ expositio vehementer placet Figuerio. Nam in pœnam scelerum diuisit Deus animos, & corda Hebræorum, vt in nulla conuenirent sententia. Vnde Iosephus affirmat, in vrbis obsidione fuisse Ierusalem plenam seditionibus: cùm adhuc clausi essent, inquit ille, multiplici semetipsos intus bello dilacerabant, & meritò: vt eleganter notauit Rupertus, quoniam data sibi optione Barrabam seditionis authorem dimitti sibi petierunt, Regem autem suum pacificum occiderunt.

Genes. 16. *Leuit. 2.* *Psalm. 33.* *Lyra.* *Rab. Solomõ.* *Psalm. 105.* *Figuerius.* *Iosephus.* *Rupertus.*

Ain.]

Ain.] *Cùm adhuc subsisteremus, defecerunt oculi nostri ad auxilium nostrum vanum: cùm respiceremus attenti ad gentem, quæ saluare nos non poterat.*

ECCE alia cæcitas Iudæorum, dereliquerunt Deum viuum, qui eos saluare poterat, & sperauerunt in baculo arundineo Ægyptiorum; cùm adhuc subsisterent, dum Ierusalem staret, quando fores templi patebant, antequam incenderetur Sanctuarium, & propitiatorium, vnde illis auxilium à Domino venire

Isai. 31. poterat. Iure Isaias cap. 31. dolens, exclamat: *Væ qui descendunt in Ægyptum ad auxilium in equis sperantes, & habentes fiduciam super quadrigis eius, & Dominum non requisierunt.* Sperent Hebræi in Ægypto, sperent in curribus, & in equis; nos autem speremus in Domino Deo nostro, qui fecit cœlum & terram.

Zade.] *Lubricauerunt vestigia nostra in itinere platearum nostrarum: appropinquabit finis noster: completi sunt dies nostri, quia venit finis noster.*

EXPRI

EXPRIMIT propheta effectus cæcitatis Iudæorum, dum ciuitas obsessa erat. Nam quemadmodum vestigia cæci in itinere lubrica sunt, ita pedes illorum metu machinamentorum hostilium intra muros passim collabebantur. Hoc satis prædixerat idem Ieremias, cap. 33. Idcirco via illorum erit quasi lubricum in tenebris, impellentur enim & corruēt; dicimus Lusitanè: *Hiaselhe olume dos olhos, escorregauaõ, e cahiaõ.* Dauid quoque non iam maledicendo, quàm vaticinando hæc prædixerat, Psalm. 34. *Fiant via illorum tenebræ, & lubricum.* Ex hac autem mentis, & corporis cæcitate facilè deprehendebatur adesse finis populi Iudaici.

Ieremi. 33.

Psal. 34.

Coph.] *Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cæli: super montes persecuti sunt nos: in deserto insidiati sunt nobis.*

IN Scriptura sacra per volatum aquilæ celeritas alicuius rei exprimitur 2. Regum cap. 2. dum Dauid plorat Saulem, & Ionatham filium eius, hostes illorum appellat velociores aquilis & fortiores leonibus. Habacuc cap. 1. inquit: *Volabunt sicut aquila festinans ad comedendum.* Ieremiæ cap. 4. habetur: *Velociores aquilis equi eius.* Quo supposito ita D. Hieronymus exponit hunc locum: per rapidum volatum, validam & velocem significat propheta persecutionem ho-

2. Reg. ca.. 2.

Habacuc.

Ierem. 4.

D. Hieron.

ſtium, qui infrà patriam conſtitutos, & deſerta patria fugitiuos, nimia crudelitate inſecuti ſunt. Quæ expoſitio D. Hieron. ſatis verificatur in fuga Sedechiæ, qui fugiens ad montes cũ equitibus ſuis, tandẽ ab hoſtibus fuit comprehenſus.

Res.] *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus captus eſt in peccatis noſtris: cui diximus: in vmbra eius viuemus in Gentibus.*

ALIQVI Hebræi antiqui intellexerunt hunc locum de Sedechia, qui fuit à Babyloniis captus in ſolitudine Iericho, & ad regem Babylonis ductus, vt cap. 25. lib. 4. Regum, & Ieremiæ 52. ſcriptum legimus. Verumtamen hæc opinio iure reiicitur ab authoribus. Nam Ieremias loquitur de rege pio, ac ſancto, quem appellat ſpiritum oris Hebræorum, ſub cuius vmbra illi protegebantur: at Sedechias fuit rex improbus, non vnctus à Domino, ſed à Nabuchodonoſor, qui ipſum Ieremiam grauiter afflixit, & iniuſtè vulnerauit, vt ex 4. lib. Regum cõſtat. Nec propter peccata hominum, ſed propter ſcelera propria captus eſt, proindeque typum Chriſti Domini referre non poterat. Quare D. Thomas, Paraphraſtes, Lyra, ac Figuerius, intellexerunt in ſenſu literali hiſtorico hunc locum de Ioſia, qui charus fuit omni populo, tanquam ſpiritus, decor, & ornamentum oris, ſeu vultus Ieruſalem: virtutibus enim ſuis quodammodo viui

4. Reg. c. 25. Ier. 52.

D. Thomas. Paraphraſtes. Lyra. Figuerius.

viuificabat gentem Hebræorum. Dicitur autem Christus, id est, vnctus, à Domino vnctione celsitudinis, & regiæ dignitatis, omnes enim reges Israel sacro oleo vngebantur; atque in hoc sensu inquit propheta: Ad hæc omnia mala, quibus premebamur, hoc vnum maximum accessit, quòd regem sanctum subitò amisimus, qui si vixisset, posset nos de manibus inimicorum nostrorum in virtute Altissimi liberare.

Si autem dicas cum Hectore Pinto Iosiá non fuisse captum, sed potiùs sagitta vulneratum in prælio indeque in ciuitatem suam asportatum in ea obiisse. Respondeo, verbum *capere* non solùm significare capturam, sed deprehensionem, ita vt sensus sit: *Captus est in peccatis nostris*; hoc est: deprehensus est in peccatis nostris; dicimus Lusitanè: *Foi achado, & colhido,* in peccatis nostris: *Abrangerâolhe nossos peccados.* Quoniã verò Iosias propter peccata populi fuit vulneratus, ideo dicitur captus, hoc est, deprehẽsus in peccatis illius. *Hector Pintus.*

Verumenimverò cùm eadem litera possit habere plures sensus literales, & hoc capite noster sacer propheta sæpissime rapiatur consideratione passionis Christi Domini, non possum non hunc quoque locũ in sensu literali prophetico de eodem Christo O. M. intelligere cum communi omnium sanctorum conspiratione. Ita enim illum intelligit August. tom. 5. lib. 18. de ciuitate Dei cap. 33. Theod. hoc loco, Euseb. Cæsariensis lib. 4. de demonstratione Euangelica, Cyprianus in symbolo Apostolorum, Dion. Carthus. in Thren. Tertul. lib. 3. contra Marcionem pag. 225. ac deniq; D. Hieronymus hoc lo- *August. Theod. Euseb. Cæsar. Cyprian. Dionys. Carthus.*

co,qui ita habet.Christus Dominus spiritus oris nostri est,in quo viuimus,mouemur, & sumus, sub cuius tutela in vniuersis gentibus versatur Ecclesia, ex cuius sapore, quidquid rectè sentimus, sapimus, qui traditus est propter delicta nostra,& resurrexit propter iustificationem nostram.Rupertus ita etiam habet:spiritus oris nostri est Christus Dominus, sine quo nusquam vita est,nusquam salus,& sine quo mortuum,ac sine anima est,quidquid ore nostro ex lege, aut prophetis legimus,vel scire nos arbitramur. Origenes eleganter hom.3.in cantica inquit: Vides, quomodo SPIRITV SANCTO promotus propheta vitam de vmbra Christi præberi gentibus dicit?Et quomodo non vitam nobis præbeat eius vmbra, cùm & in conspectu corporis illius ad Mariam dicatur: SPIRITVS SANCTVS veniet super te,& virtus Altissimi obvmbrabit tibi? Si ergo vmbratio fuit Altissimi in conspectu corporis eius, meritò vmbra illius vitam gentibus dabit. Bernardus solita dulcedine passim hoc loco explanat de Christo Domino:ait enim serm. 1. de aduentu:Sicut ad operãdam salutẽ in medio terræ venit semel in carne visibilis;ita quotidie ad saluandas animas singulorum in spiritu venit,& inuisibilis;sicut scriptũ est:*Spiritus oris nostri Christus Dominus*;& vt noueris spiritualem esse eius aduentum, additur: *In vmbra illius viuemus inter gentes.* Et serm.6. in Ascensione Domini ait:Nec ipsam merã lucem poterant aliquatenus sustinere,sed exhiberi illis oportuit VERBVM IN CARNE, solem in nube,lumen in testa, mel in cera, cereum in lanterna, spi

Rupertus.

Orig.

Bernard. serm. 1.

ſpiritus ante faciem illorũ Chriſtus Dominus: ſed non vtique ſine vmbra, in qua viuerent interim inter gentes. Vnde & virgini legitur obũbraſſe, ne vehementiori reuerberata ſplendore ad candidiſſimam illam lucem, puriſſimumque diuinitatis fulgorem, etiam illius aquilæ poſſet acies hebetari. Et ſermone de Natiuitate Beatæ Mariæ inquit: *In vmbra eius viuemus inter gentes.* Nam inter cæleſtes quidem beatitudines non in vmbra viuitur, ſed potius in ſplendore; inquit enim Pſalm. 109. *In ſplendoribus ſanctorum ex vtero ante luciferum genui te.* Et ſerm. 20. in Cantica ita idem Bernardus: quod ſubiungitur: Sub vmbra eius viuemus; in perſona inſipientium mihi videtur addidiſſe, vt quieſcant ſaltem in vmbra, qui ſolis ferre ardorem minùs validos ſe ſentiunt, vt carnis dulcedine nutriantur, dum non valent ea percipere quæ ſunt ſpiritus Dei, vmbram ſiquidem Chriſti, carnem reor eſſe ipſius. In carnis igitur deuotione iterum conſoletur, qui viuificantem ſpiritum nondum habet, eo duntaxat modo, quo habent illi, qui aiunt: *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus.* Eodẽ fere modo hunc locum explicat Balduinus, author digniſſimus: *In vmbra* (inquit) *Chriſti viuimus in gentibus*; Nam inter angelos aliter, quando iam in differente felicitate cum ipſis videbimus eum nos etiam, ſicut eſt, hoc eſt, in forma Dei, & non in vmbra. Vmbra autem eius, caro eſt, vmbra eius, fides, in vmbra in gentibus, in luce cum angelis. In vmbra ſumus, quamdiu per fidem ambulamus, & non per ſpeciem. Hæc Balduinus. Et confirmatur expoſitio horum patrum ex eo

Pſalm. 109.

Bernard.

Balduinus.

maximè, quòd vbi nos habemus: *Christus Dominus* in Hebræo est, *Messiach Iehouah*, hoc est, *Messias Deus*; iuxta translationem Diui Hieronymi, & Septuaginta.

D. *Hier.* *Septuaginta.*

Ex recentioribus verò eandem expositionis viã tenet Hector Pintus, existimans non aliter, nec alio modo posse hunc locum explicari, nisi de Christo Domino. In eâdem sententia est etiã Figuerius, & nouissimè Ludouicus de Soto maior cap. 2. in Cantica. licèt in sensu historico de Iosia illum pariter explicet.

Hect. Pint. *Figuerius.* *Ludou. de Soto Maior.*

Appellatur autem Christus Dominus spiritus oris nostri, vel quia prophetæ spiritu Domini loquebantur, vel quia ipse respiratio oris nostri est, in quo viuimus, spiritum ducimus, ac respiramus. Namque, vt inquit Paulus, Actor. c. 17. Ipse dat omnibus vitam & inspirationem. Et paulò post affirmat, quod in ipso viuimus, mouemur, & sumus. Atque ita per spiritum ego quoque existimo significari venustatem, gratiam, & pulchritudinem Ecclesiæ, quæ resultat ex Christo Domino. Quemadmodum enim, quando imago, vel pictura aliqua venusta est, dicimus habere illam spiritum, seu vitam; ita Ecclesiæ spiritus, hoc est, venustas, & pulchritudo, est Christus Dominus, qui Ecclesiam spiritu oris sui pulchram facit. Præterea, sicut aëre, respirando, & inspirando, viuimus corporaliter, ita Christum per fidem recipimus, & ei debitas gratias reddendo viuimus spiritualiter.

Actor. 17.

Illud autem obserua, quòd cùm reges Israel dicantur *Christi Domini*, id est, *vncti à Domino*; tamen Dominus I E S V S non solùm vnctus à

Domino, proindeque Christus Domini, sed ipse Christus Dominus appellatur, non tam gratia creata, quatenus rex, sed etiam gratia Deitatis increatæ, quoniam est Deus de Deo, Deus verus de Deo vero. Quod satis innuit Psalm. 44. *Vnxit te Deus oleo lætitiæ præ consortibus tuis*. Atq; ita Psal. 2. pleno ore appellat Dauid nostrum Messiam Christum Dominum; ibi: *Principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius*. Et Lucæ cap. 20. dicunt angeli pastoribus: *Natus est vobis hodie saluator, qui est Christus Dominus*. *Psalm. 44.* *Psal. 2.* *Luc. 20.*

Obserua etiam Paraphrastem (vbi nos habemus, *Captus est in peccatis nostris*) legere: *Captus*, seu, *tentus est in retibus exitialibus Ægyptiorum*. Namque, qui hunc locum intelligunt de Iosia, asserunt, Ægyptios foueas occultas prope sua castra fecisse, in quas incidens Iosias, in curribus suis cæsus est, atq; ita per retia insidiæ intelliguntur. *Paraphrast.*

Verumtamen cùm sancti patres existiment. Ieremiam ad literam loqui de Christo Domino, capto in horto Gethsemani, in comprehensione illius non alia retia quàm scelera nostra, considerant; illis enim quodammodo irretitum ceruũ illum matitinũ sponte sua ad hostes procedentẽ, circumdederunt canes multi, *& conciliũ malignantium obsedit eum*, Psalm. 21. ibi cõsiderabat ad dexteram respiciens in adiutorium hominũ, & non erat, qui cognosceret eum derelictum ab amicis, proditum à Iuda, captũ ab inimicis, vulneratum denique propter scelera nostra, humiliatũ, & percussum à Deo, cuius liuore *Psal. 21.*

sanati sumus, & sub cuius alarum vmbra protegimur in æstiuo ardore huius asperæ solitudinis, donec aspiret dies æternitatis, & inclinentur vmbræ huius seculi.

Sin.] *Gaude, & lætare filia Edom, quæ habitas in terra Hus: ad te quoque perueniet calix: inebriaberis, atque nudaberis.*

D.Hier. PRo explicatione literali huius loci notandum est, ex D.Hieronymo, *Edom* idem fuisse, quòd *Esau* fratrem Iacob, à quo Idumæi infestissimi hostes Israel orti sunt. Huic quoque fuit filius Chore, Traconitidis & Damasci conditor, inter Palæstinam & Cælesyriam tenens principatum. Quemadmodum ergo Iacob & Esau fratres fuerunt inimici, ita & populi ab illis descendentes se inuicem incredibili odio prosequebantur, vsque adeo vt cum rege Babylonis ad destruendam Ierusalem alacri animo conuenirent, ad quod respiciebat Dauid Psalmo 136. dum Dominum deprecans dicebat: *Memorare Domine filiorum Edom in die Ierusalem, qui dicunt: Exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea.* Terra Hus est terra Idumæorum, seu Idumææ, de qua fuit beatus Iob, vt ex primo capite ipsius libri constat. Notandum quoque est, per calicem in Scriptura sacra, sumi labores, & persecutiones,

Isai. 136.

Iob cap. 1.

lere

Ieremiæ 49. *Ecce quibus non erat iudicium, vt biberent calicem, bibentes bibent*, Psal. 115. *Calicem salutaris accipiam.* Quo loco sermo est de passione Christi significata in calice, in quo etiam sensu Christus Dominus Matthæi 20. inquit: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* *Ierem. 49.* *Psalm. 115.* *Matth. 20.*

Quibus positis fundamentis sensus literalis huius loci continet quandam amaram concessionem in hunc modum: ô Idumæa, quæ semper persecuta es fratres tuos Hebræos, quibus iure consanguinitatis fauere debueras, nunc iam exulta, audita eorum ruina, & calamitate; exulta tamen ad horam. Nam calix iræ positus in manu Domini ad te perueniet, tu quoque illum gustabis cum omnibus peccatoribus terræ, nec enim est exinanita fæx eius: postquam autem musto huius calicis inebriata fueris, velut alter Noë, ebrietate consopita, nudaberis coram omnibus nationibus. Nec enim ira regis Babylonis in Ierusalem & Iudæa terminabitur, sed in Idumæam quoque excandescet.

Paraphrastes hoc modo explicat: Gaude, & lætare Constantina ciuitas; Idumæa impia, quæ ædificata es in terra Armeniæ cum multis turbis populi Idumæorum, etiam super te ventura est vltio, & vastabunt te Parcauenses, & transibit super te calix maledictionis, satiaberis, & euomes. Quòd autem sensus ironicus, qualis hic est, sit frequens in diuinis literis; satis patet perlegenti Scripturam sacram. Ecclesiast. 11. habetur: *Lætare iuuenis in adolescentia tua.* Amos 4. *Venite in Bethel, & impij agite.* Christus quoque Dominus in cœna dixit: *Quod facies, fac citiùs.* *Paraphrast.* *Ecclef. 11.* *Amos 4.*

Quæ

Quæ verba non possunt congruenter intelligi, nisi per ironiam,& comminationem.

Thau.] *Completa est iniquitas tua filia Sion: non addet vltra, vt transmigret te: visitauit iniquitatem tuam filia Edom, discooperuit peccata tua.*

IAM concludit noster lamentator suam lamentationem erectus in spem, quòd Deus tandem misericordia commotus captiuam Sion visitabit, & liberabit, ac tandem quòd diuina iustitia de hostibus vindictam sumet. Est igitur sensus: ô Ierusalem iam debitas exoluisti pœnas, iam purgata es sceleribus, post tenebras spera lucem, quoniam propter transacta peccata iam non te faciet Dominus ampliùs exulare à dulci patria. Tu verò ô Idumæa, filia Edom, expecta vltionem à Domino tuis flagitiis debitã. Ille enim vt iustus iudex te visitabit, scelera tua manifestans omnibus gentibus. Hoc autem genus supplicij vaticinatus fuerat idem Ieremias cap. 49. *Ego discooperui Esau, reuelaui abscondita eius, & celari non poterit.* D. Hieronymus in sensu spirituali ita hunc locum declarat: Completa persecutione, qua hostes in hoc seculo permittuntur persequi electos Dei, ad probationem scilicet eorum, non ad damnationem, iam vltrà non addent, vt transmigrent per eos, quoniam absterget Deus omnem lacrymam ab oculis

Ierem. 39. D. Hieronym.

sancto

ſanctorum ſuorum, & neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltrà, quoniam prima abierunt, ſed exultent iuſti in iuſtitia: impij autem & peccatores, cum diabolo mittantur in ſtagnum ignis, & ſulphuris, vbi eſt beſtia, & Pſeudoprophetæ, & cruciabuntur die ac nocte in ſecula ſeculorum.

Figuerius intelligit hunc locum de conſummatione ſeculi; quando Eccleſia ab omnium fidelium malitia purgabitur, & liberabitur: tunc enim fideles ſemper in patria cũ Domino erũt. Idumæi autem, id eſt, infideles, filij Edom, quoniam illorum iniquitas nunquam expletur, nec purgatur, in peccato obdurati permanebunt, ſemper ardentes, & Dominum blaſphemantes. *Figuerius.*

Ego verò libenter admittam prophetã etiam de vltimo examine orbis terrarum loqui hoc loco; ille enim veluti de alta ſpecula omnes huius ſeculi agones conſiderauit; & ideò nunc Iudæorum caſus deplorat, nunc Eccleſiæ luget detrimenta, de morúmque prauitate dolet, nunc reſtaurationem Ieruſalem, & gloriam intuetur; Eccleſiámq; exaltandam tandem in fine ſeculi gloriatur. Cum victoribus gaudet, cum victis luget. Denique omnem ſexum, omnem ætatem, omnes ordines, tanquam ſit vnus in omnibus, deplorat, & ad plorandum omnes inuitat, ſingulis perſonis propria lamenta impertitur, & ſemper nouas lacrymas fundit. Quapropter ad ipſum prophetam Ieremiam iterum in ſua lugubri oratione contemplandum nouo affectu accingamur.

Finis lamentationum Ieremiæ Prophetæ.

Præfatio

Præfatio in orationem Ieremiæ Prophetæ.

P*Ostquam Ieremias quatuor præcedentibus capitulis, veluti quatuor diuisionibus aquarum, è cordis fonte per oculos deriuatis miserandam populi Iudaici calamitatem deplorauit: nunc iam ad orationem confugit, vt illius ope diuinum numen iratum placare ac lenire poßit. Quoniam verò oratio pura ac simplex Deo maximè placet, ideo non curat in principio versus, elegantiam elementorum alphabeticorum; sed statim incipit:* Recordare Domine, *&c. In hac oratione explicat Sanctus vates multiplicem populi sui miseriam ad prouocandam diuinam misericordiam; ac primò explicat miseriam ex parte captiuitatis populi; secundò, ex parte euersionis regni, & templi; hoc est, luget tam mala, quæ euenerunt Iudæis in patria, quàm procul à patria in dura Babylonis seruitute, vt litera monstrabit.*

ORATIO



ORATIO IEREMIÆ PROPHETÆ.

Recordare Domine, quid acciderit nobis?

IAM non iudicem æquissimum in aduersarios exasperat, sed solùm plorando miseriam populi sui, veniam precatur, obiicit oculis Domini abyssum miseriæ, vt abyssus miseriæ abyssum misericordiæ inuocet.

Obliuio & recordatio non est propriè in Deo, non enim est dignum ponere in illa maiestate obliuionis defectum, vel exorare, vt ad memoriam redeat diuinitas, coram qua omne præteritum & futurum semper est præsens. Sed ideo propheta Deum recordari postulat, vt citò ad modum recordantis alicuius miseri indigentibus auxilium conferat. Namque vt inquit D. Hieron. vsus prophetarum est per humanas cõsuetudines Dominum frequenter supplicare. Dauid Psal. 12. inquit: *Vsquequò Domine obliuisceris me in finem?* Et Psal. 43. *Quare faciem tuam auertis, obliuisceris inopiæ nostræ, & tribulationis nostræ?* Iob cap. 14. ait: *Quis mihi tribuat, vt in inferno protegas*

D. Hieron. *Psalm. 12.* *Psalm. 43.* *Iob cap. 14.*

Isaia 18. *protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus, & constituas mihi tempus, in quo recorderis mei?* Isai. quoque cap. 18. habetur: *Recordare, quod steterim in conspectu tuo.* Nec solùm apud prophetas, sed in aliis Scripturæ sacræ libris has tropologias inuenies. Gen. 9. *Recordabor fœderis mei.* Exo. 6. *Recordatus est Dominus pacti, quod pepegerat cum Abraham, Isaac, & Iacob.* Et Exodi 32. inquit Moyses: *Recordare Abraham, Isaac, & Iacob*: volens recordatione amicorum iram Dei in filios eorumdem continere. Recordare igitur, inquit propheta, quid acciderit nobis filiis quoque Abraham, Isaac, & Iacob. Recordare, quòd sumus gens tua, populus tuus, & oues pascuæ tuæ: Recordare testamenti tui: Recordare Dauid serui tui, cuius memoriæ debetur, quòd protegas miseram ciuitatem istam, ne penitus absumatur; Memento Domine, Dauid, & omnis mansuetudinis eius. Numquid obliuisci potest mulier filium vteri sui? Nos pupilla sumus oculi tui, ita vt, qui populum tuum tetigerit, pupillam oculi tui se tetigisse videatur. Quare ô Domine, si peccata nostra obliuionem causant, memoria amicorum, amor filiorum, dolor oculorum te recordari faciant.

Genes. 9.
Exod. 6.
Exod. 32.

Intuere, & respice opprobrium nostrum.

TALIS est pulchritudo vultus Domini, in quē desiderant angeli prospicere, vt si ille nos intueatur, & respiciat, simus statim beati. Si verò faciē suam à nobis auertat, maneamus miseri, &

ſeri, & infelices. Vnde in Scriptura ſacra aſpicere Deum, idem eſt, quod, miſereri. Dauid Pſal. 118. *Aſpice in me, & miſerere mei.* Et Pſal. 137. *Excelſus Dominus, & humilia reſpicit, & alta à longè cognoſcit.* Proindéque auertere Deum faciem ſuam, illámque abſcondere, eſt inditium magnum iræ, & furoris. Vnde idem Dauid Pſal. 26. dicebat: *Ne auertas faciem tuam à me.* Et Pſal. 29. *Auertiſti faciem tuam à me.* Iſaias quoque cap. 64. *Auertiſti faciem tuam à nobis.* Inquit igitur Ieremias: Mirum non eſt Domine, ſi in tenebris tribulationum & dolorum verſemur, ſiquidem lumen vultus tui non affulſit nobis. Si enim faciem tuam intueremur, beati profectò eſſemus; præteriti laboris ſtatim obliuiſceremur, ſi tu noſtri recordareris: cor noſtrũ glacie peccatorũ obduratum eſt: Reſpice tu oculis miſericordiæ, emitte lucem tuam; & calore radiorum ipſius ſtatim durities reſoluetur, & ſicut cera liquefiet.

Pſalm. 118.
Pſal. 137.
Pſal. 26.
Pſal. 29.
Iſai 64.

Inter miſerias autem & calamitates Ieruſalem præcipuè hoc loco mentionem facit propheta opprobrij populi Iudaici, quoniam illud redundabat quoque in opprobriũ Domini. Eâdem ferè ratione volebat regius vates mouere Dominum ad ſubueniendum ſibi, dũ Pſ. 78. inquit: *Adiuua nos Deus ſalutator noſter, & propter gloriam nominis tui Domine libera nos, & propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum.* Ioel quoque c. 2. *Parce Domine, parce populo tuo, & ne des hæreditatem tuam in opprobrium, vt dominentur eius nationes: quare dicunt in populis; vbi eſt Deus eorum?* Ita ſimiliter noſter Ieremias habet hoc loco:

Pſal. 78.
Ioel c. 2.

Reſpice

Respice opprobrium nostrum, quod in contumeliam tuam quoque redundat: Tua res agitur, tuus honor periclitatur, tua gloria naufragat: ideo non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.

Psalm. 113.

Hereditas nostra versa est ad alienos, domus nostra ad extraneos.

IAM descendit propheta ad numeranda singillatim mala, quæ miseris Iudæis acciderũt, quorum primum est, barbaras nationes patriam possedisse, ipsos verò Iudæos captiuos in Babylonem ductos fuisse. [*Hæreditas nostra,*] hoc est, terra sanguine patrum nostrorum expugnata, iuréque belli acquisita, & ad nos iure hæreditario traducta, versa est ad alienos, Sanctuarium templi factum est spelunca latronum, & habitaculum draconũ, vasa sancta in profanos vsus sunt asportata in Babylonem. In ædibus nostris, quibus pepercit incendium, habitant extranei: nos verò in atriis & præsepibus compedibus alligati, duram experimur seruitutem. Tapetibus nostris barbarorum aulæ ornantur, in nostris culcitris mollibus requiescunt, nos in tetrum carcerem sumus detrusi, & in terra dura vix somnum capimus. Illi byssino & coccino nostro induuntur; nos vilibus & abiectis pannis malè fatigata membra tegimus. Illi pane, vino, & oleo nostro abundant; anima verò nostra

nostra chilschiliis saturari desiderat. Ecce quomodo hæreditas nostra versa est ad alienos. Vinea Domini Sabaoth ablata est à nobis, & locata extraneis.

Hæc omnia luget etiam Isaias cap. 1. ab illis verbis: *regionem nostram coram nobis deuorant alieni* &c. Alieni autem dicuntur non solùm natione, & genere, sed etiam, lege ac fide differentes. in quo sensu loquitur idem Isaias, cap. 25. *Posuisti ciuitatem in tumulum, vrbem fortem in ruinam, domum alienorum, vt non sit ciuitas.* *Isai. cap. 1.* *Isai. cap. 25.*

Nos quoque vehementer perhorrescere debemus, ne peccatis nostris exigentibus vinea Domini à Iudæis ablata, Hispaniisque hucusque quasi hæreditario credita iure, auferatur à nobis, & detur genti facienti fructus: néve vltra Garamantas & Indos ad Iapponia rura transferatur. Tu Domine, qui es pius pater, simulque pars hæreditatis nostræ, conserua in nobis vineam tuam, quam proprio sanguine plantasti, nobisque multiplici gratia acquisisti.

Pupilli facti sumus absque patre, matres nostræ quasi viduæ.

AD literam planguntur filij occisorum in bello, quorum auxilio destituti facti sunt orphani, seu pupilli. Matres namque fame & gladio quoque interierunt, & si quæ superstites sunt, viduatæ maritis remanserunt. At alio parente longè præstantiore orbatos man-

 sisse

ſiſſe Iudæos meritò luget etiam propheta.

Omnium quidem rerum in Scriptura ſacra Deus O.M. pater appellatur, vt notauit Paulus ad Epheſ. 4. dum inquit: *Vnus Deus, & pater omnium.* Attamẽ pater hominum præcipuè vocari gloriatur, ſicque miro amoris ſtratagemate, cùm omnium rerum pater per participationem appellaretur, vnius hominis per naturam pater fieri voluit, Domini ſcilicet noſtri IESV CHRISTI, cui aliquando propriè dicere potuiſſet: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Quod, vt notauit idem Paulus ad Hebræos 1. Nulli angelorum vnquam dixit. Ita quidem hoc nomine patris recreatur Deus, vt illud Apoc. 4. in frontibus Beatorum literis aureis inſcripſerit: *Et vidit* (inquit Ioannes) *nomen patris eius ſcriptum in frontibus eorum.* Nec ſolùm electorum pater nominatur, ſed & ipſos præſcitos filiorum appellatione non priuat. Sicque in perſona Dei, Lucæ 16. Abraham diuiti epuloni in inferno dixit: *Recordare fili, quòd accepiſti bona in vita tua.* In eo autem apparet iuſtitia huius patris, quòd vel filiis non parcit, ſed ſuppliciis æternis illos pro ratione culpæ æqua virga punit. Nam diuitem epulonem, quem filium vocat, in inferno gehenna torqueri iubet; & quoniam præſcitos filios non negat, ideo temporalibus bonis ad ſuſtentandam vitam, vt pius pater, non priuat. Quemadmodum videmus in Rubem, qui licèt propter peccatum in patrem commiſſum, fuerit ſceptro priuatus, non tamen in diuiſione terræ promiſſionis fuit ſpoliatus ſorte ſua; ita pariter peccatores præſciti habebunt quidem poſſeſ-ſionem

ad Epheſ. 4.
ad Hebr. 1.
Apoc. 4.
Luc. 16.

ſionem in terra, veluti ſpurij filij ad temporalem vitam alendam, cæleſti tamen hæreditate priuabuntur. Taliter quidem Deus O. M. nomen, & proprietatem patris ſibi vendicat, vt in Euangelio prohibeat Chriſtus Dominus, Matt. 25. aliquem vocari à nobis patrem ſuper terram. Eſt ſiquidem nobis pater in cælis. Illud verò eſt maximè obſeruandum, quòd cùm omnes homines filij ſint Dei, non tam per gratiam, quàm iure creationis, quia ſcilicet de viſceribus eius proceſſimus, quando ille inſufflauit in Adam ſpiraculum vitæ, tamen genus Hebræorum pro primo genito habeat: ſic enim Exod. 4. Moyſi imperauit, vt Pharaoni diceret: *Hæc dixit Dominus; filius meus primus genitus Iſrael* &c. *Matth 25.* *Exod. 4.*

At Synagoga turpiter contra Dominum adulterauit, filiiq; eius à patre degenerantes ipſum ſpreuerunt, de quo ſatis Dominus conqueritur, Deuter. 32. dicens: *Haccine reddis Domino Deo tuo populo ſtulte, & inſipiens? Numquid non ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit te, & fecit, & creauit te?* Et Iſaiæ cap. 1. *Filios* (inquit) *enutriui, & exaltaui, ipſi verò ſpreuerunt me.* Quare optimo iure Deus tanquam adulteram repudiauit Synagogam, nolens ampliùs vocari vir eius; iuxta illud Oſeæ cap. 2. *Iudicate matrem veſtram, quoniam ipſa non vxor mea, & ego non vir eius:* ac propterea filios Synagogæ deinceps deſpexit, & vt adulterinos reliquit. Quare meritò inquit propheta: *Pupilli facti ſumus abſque patre.*] quoniam pater noſter nos repudiauit; *mater noſtra, quaſi vidua,* quoniam vt adultera, *relicta, & exploſa eſt.* Non dicit: Matres noſtræ viduæ, ſed quaſi viduæ: *Deut. 32.* *Iſai. c. 1.* *Oſea 2.*

quoniam, vt iam 1. cap. notauimus, sponsus Ierosolymæ erat immortalis, proindeque emori non poterat, propter tamen iustissimam illius absentiam dicuntur matres quasi viduæ. Nec erit abs re, si dicamus, Ieremiam considerantem Ierusalem in triduo passionis appellasse Iudæos pupillos, quoniam illorum pater Christus Dominus obiit in humanitate, materque Synagoga facta est vidua in mõrte diuini sponsi: Quapropter in parasceue in officio sepulturæ Christi Domini, in Ecclesiis Lusitaniæ, hic versus funebri tono à cantoribus recitatur, cũ maxima deuotione circumstantium & populi Christiani lacrymis.

Aquam nostram pecunia bibimus: ligna nostra pretio comparauimus.

DVo elementa, in quibus maximè nutritur vita humana, & quorum vsus omnibus communis est, sibi dicit in captiuitate fuisse adempta, ita vt neque aqua ad bibendum, neque ligna ad focum sine pretij redemptione habere possent. *Rab. Solomô.* Rab. Solomô, inquit, quòd timebant Iudæi, ex fluuio & ex fonte haurire aquam, metu hostium, & ideo cogebãtur illam pretio emere. [*Aquam nostram.*] id est, vsui nostro necessariã, non licebat de communibus fontibus haurire, nec de communibus syluis ligna cædere. Vel loquitur de iis, qui in Ierusalem relicti tributa soluebant pro haurienda aqua è propriis fontibus, & cædendis lignis, è propriis syluis: vel de Iudęis captiuis in Babylone, qui pretio emebant aquã

ad bibendum,& ligna ad ſe ipſos calefaciendos. Notat autē eleganter Figuerius, iuſto Dei iudicio effectum eſſe, vt Iudæis interdiceretur ſcindere ligna, è communibus ſyluis cæduis, ſiquidē è propriis lignis placentas coxerunt idolis: Ieremiæ enim 7. habetur: *Filiæ colligunt ligna, & patres ſuccendunt ignem, & mulieres conſpergunt adipem, vt faciant placentas reginæ cœli, & libent Diis alienis.* Iuſto namque Dei iudicio in eo vnuſquiſque punitur, in quo deliquit. *Figuerius.* *Ierem. 7.*

Ceruicibus noſtris minabamur: laſsis non dabatur requies.

HVc vſque deplorauerat Ieremias calamitatem ſuam in bonis fortunæ: nunc verò eandem calamitatem deplorat in propria perſona. Nicolaus de Lyra exiſtimat verbum *minabamur* conſtruendum à *minor, minaris*; prophetámque loqui de amputatione capitum, quam hoſtes minabantur Ieremiæ, & aliis. In qua ſententia eſt etiam Dionyſius; ita enim explicat: *Minabantur nobis caput amputare.* Quam etiam ſententiam videtur ſequi Hector Pintus, dum exponit in hunc modum: *Minantur nobis inimici ceruicum percuſſionem*; qualibet occaſione nobis periculum oſtentant. Sed reuera verbum *minabamur* non à *minor minaris*; ſed potiùs à *mino minas*, deriuatur; *mino* autem ſignificat ducere aliquid. Exod. cap. 3. *Cùm minaſſet gregem* &c. Eſt igitur germanus ac planè literalis ſenſus: Funibus collo ligatis nos capti- *Lyra.* *Dionyſ.* *Hect. Pint.* *Exod. 3.*

uos ducebant;more arietum, pecudumque ceruicibus ducebamur, trahebamur, minabamur. Quæ videtur expoſitio Diui Hieronymi, inquit enim ſanctus Doctor: *More iumentorum ceruicibus ligatis ſe minari dicit, quia hoſtis eorum nullam dominationem ſui habere permitit, ſed trahuntur, quocumque impetus dirigentis voluerit.*

D. *Hier.*

Laſſis non dabatur requies.] quoniam compellebantur laſſati currere; & ſine requie laborem operis ſuſtinere. Chaldæi enim victoria inſolentes ad laborem vltrà vires ſine modo fatigatos Hebræos cogebant. Eſt autem traditio Rabbinorum, quòd cùm impius Nabuchodonoſor vidiſſet filios Iſrael euntes in exilium, vacuos, ſine ſarcinis, præcepit conſuere libros legis, & ex membranis ipſorum facere ſacculos, & vtres, eoſque impleri arenis, & lapillis, qui erant ad ripam Euphratis, vt miſeris captiuis ſacra ſarcina oneratis non daretur requies. Et meritò hæc paſſi ſunt Hebræi, vt qui nullum obſeruatę legis fructum habebant, membranas librorum legis in ſaccos conuerſas, plenas arenis, ceruicibus portarent.

Aegypto dedimus manum, & Aſſyriis, vt ſaturaremur pane.

DARE, *leuare*, vel *extendere manum alicui*, interdum ſignificat, operã & auxilium poſtulare.

ſtulare. Ita Dauid Pſalmo ſeptuageſimooctauo. *Pſalm.78.*
Extendi ad te manus meas; *&*, vt in re ſacra poëtarum exemplis vtamur, ſic Virgilius ſexto Æneados inquit: *Virgilius.*

Stabant orantes primi tranſmittere curſum,
Tendebántque manus ripæ vlterioris amore.

Interdum verò ſignificat præſtare eandem opem & auxilium egenti. Sic apud eundem Virgilium eodem 6. libro clamat Palinurus ad Æneam.

Da dextram miſero, & tecum me tolle per vndas.

In quo ſenſu loquebatur Dauid Pſalmo 64. cùm inquit: *Tenuiſti dexteram meam.* & Iob 14. *Operi manuum tuarum porriges dexteram.* Dare etiam dexteram alicui eſt ſignum pacis & fœderis. Vnde Cicero in oratione pro rege Deiotaro inquit: *Per dexteram te iſtam oro, quam hoſpes hoſpiti regi Deiotaro porrexiſti*, &c. Qui enim manum ſuam alicui tradit, quodammodo ſe ad bellum cum illo deinceps inermem reddit. Ideoque Deus Optimus Maximus, volens fœdus amicitiæ cum hominibus inire, dexteram ſuam, hoc eſt, filium dilectiſſimum, in cruce clauis configendum nobis dedit. *Pſalm.64.*

Iuxta igitur hos explicandi modos hunc quoque locum explicemus: *Ægypto dedimus manũ, & Aſſyriis.*]id eſt, ab Ægyptiis & Aſſyriis amicis quondam noſtris opem & auxilium poſtulauimus ad modum miſerorum, qui leuãt manus auxilium implorantes. Dedimus Aſſyriis manus; vt ipſi manibus ſuis porrectis nos ſub-

 leuarent.

leuarent. [*Vt saturaremur pane.*] vt nobis in magna terræ sterilitate frumento subuenirent, vel certè, vt nos ab hostibus defenderent, vt in pace & tranquillitate terram nostram possimus colere, ex illáque fructum frumenti colligere. Vel potest esse sensus iuxta posteriorem explicandi modum: Fœdus iniuimus cum illis populis, vt saltem pro perpetuo tributo & vectigali nos tũc pane saturarent. Nam antea cum Ægyptiis & Assyriis præcipuè fœdus & amicitiam deserto fœdere Domini inierant Iudæi: vnde, vt notat D. Hieronymus, meritò ab eisdem populis sunt illi flagellati, quibus derelicto Deo propter terrenam cupiditatem elegerunt esse subiecti.

D. *Hier.*

Patres nostri peccauerunt, & non sunt: & nos iniquitates eorum portauimus.

QVERIMONIA est dolentis, similis illi, qua Dauid Psalm. 68. conqueritur, dicẽs: *Quæ non rapui, tunc exoluebam.* Ita Ieremias nomine populi Iudaici conqueri videtur, ac si dicat: Iam non existit Manasses rex impius, patres, aui, & proaui nostri idololatræ jam mortui sunt, & nos pœnas illis debitas exoluimus.

Psalm. 68.

Ex hoc loco satis colligitur, Iudæos adhuc impœnitentes, obduratósque in scelere & arrogãtia extitisse, quando propheta Ieremias nomine populi in patrũ memoriã scelera retoquebat, cũ

potiùs

potiùs debuissent iniquitatem suam cognoscere, séque criminum reos confitentes, & ideò iustissimè flagellatos cum sancto Dauid clamare: *Tibi Domine peccauimus*. Notat autem D. Hieronymus ideo Iudæos patrum iniquitates portasse, quoniam imitatores eorundem in nequitia extiterunt; iuxta illud eiusdem Ieremiæ cap. 31. & Ezechielis 18. *Patres vestri comederunt vuā acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt*. Et Exod. cap. 20. inquit Dominus: *Ego sum Dominus Deus tuus æmulator; qui reddo peccata patrum super filios vsque ad tertiam, & quartam generationem his, qui oderunt me, & faciam misericordiam in millia his, qui diligunt, & custodiunt præcepta mea.* Nec est contrarius iste locus illi testimonio Ezechielis cap. 18. vbi dicitur: *Filius non portabit iniquitatem patris, nec pater iniquitatem filij*, quia mox sequitur: *Iustitia iusti erit super eum.* Tunc enim Deus solet visitare peccata patrum in filiis, quando filij virtute quodammodo seminali scelera patrum hæreditant; Quod satis declarant illa verba: *His, qui oderunt me.* Nam hi, qui custodiunt præcepta Domini, non portant iniquitates patrum quoad culpam. Nō est tamen negandum, filios propter peccata parentum flagellari in bonis temporalibus: imo potiùs in protoparēte Adamo, quia virtute seminali eramus in lumbis eius, non solùm originale peccatum, sed fomites illius, omnésque pœnalitates contraximus. Et licèt filij cæterorum parentum iniquitates quoad culpam non portent; in medicinam tamen, & ad aliorum exempla, interdum pœnas peccatorum luunt, vt eleganter D. Augustinus

D. Hieron. | Ierem. 31. | Ezech. 18. | Exod. 20. | Ezech. 18. | D. August.

quæst. 8.

quæſt. 8. in Ioſue, & tractatu contra Donatiſtas cap. 7. notat. Vnde in Repub. ſecundùm leges ciuiles, quemadmodum filij viuunt per gloriam parentum in poſſeſſione maioratuum, & bonorum, ita quoque parentum infamiam ſuſtinent. Patres igitur olim ante captiuitatem peccauerunt, filij in peccatis eorum quaſi hæreditario iure ſucceſſerunt, & ideò meritò cum ipſis peccatis peccatorum pœnas portarunt. Hanc quoque arrogantem Iudæorum querimoniam, & excuſationem, Phariſæi hæreditarunt; dicebant enim, Matthæi 23. *Si fuiſſemus in diebus patrum noſtrorum, non eſſemus ſocij eorum in ſanguine prophetarum.* Et tamen ſummum prophetam, totiúſque orbis moderatorem, crudeliter flagellauerunt, & crucifixerunt.

Matth. 23.

Serui dominati ſunt noſtri: non fuit qui redimeret de manu eorum.

AD eum miſeriarum ſtatum deuenerũt Iudei, vt vel ipſi ſerui dominarentur eorum. Diuus Hieronymus credit hoc loco appellari ſeruos, Gentiles, qui idolis ſeruiebant, & immolabant dæmonibus, in quorum dominium propter peccata ſua traditi ſunt Iſraëlitæ, qui quondam loco filiorum reputabantur; iuxta illud Oſeæ 11. *Ex Ægypto vocaui filium meum*; id eſt, populũ meum. Quod autem idololatræ, & gentiles ſerui dicantur, ſatis probatur ex Ioel. cap. 2. vbi

D. Hieron. *Oſee 11.* *Ioel cap. 2.*

vbi Deus inquit: *Etiam super seruos & ancillas effundam spiritum meum.* Rab.D. Ioseph, & Paraphrastes, per *seruos* intelligunt filios Cham, qui seruitutem ex paterna maledictione hæreditarunt. Per *seruos* quoque possumus cum Lyra intelligere Moabitas & Idumæos, qui tempore Dauid & Salomonis circa Iudæos habitantes, erant tributarij regi Iudæ; & data sibi occasione rebellantes contra Ierusalem, secutique partes Nabuchodonosor, venerunt ad destruendam Ierosolymam, captáque vrbe, multi facti sunt Domini Hebræorum, quorum antea captiui erant. Similem miseriam experti sunt nostri Lusitani, quando cum Rege Sebastiano elapsis annis totius regni fecerunt iacturã; multi enim nobiles viri venerũt in captiuitatẽ Maurorum, quos antea captiuos in compedibus habuerunt, quæ quidẽ miseria talis est, vt dicat Ecclesiastes cap.10. *Est malum, quod vidi sub sole, seruos in equis, & principes ambulantes super terram, quasi seruos.*

Rab. D. Ioseph. *Paraphrastes* *Lyra.* *Ecclesiaſ. 10.*

Nec fuit, qui redimeret Hebræos de manibus hostium, quoniam defensorem, & liberatorem Deum habere noluerunt, & qui Domino Deo suo seruire neglexerunt; meritò crudelissimorum hostium vili dominio subiugati sunt.

In animabus nostris afferebamus panem nobis, à facie gladij in deserto.

ALIQVI opinãtur per *animas* intelligi hoc loco iumẽta, seu alia quadrupedia, quibus Hebræi panẽ asportabant; argumẽto sumpto ex

illo

Genef.1. illo loco Genef. 1. *Producat terra animam viuentem*, hoc eft, iumenta, & pecora. Et Genef. 12.
Genef.12. *Tulitq; Abraham vniuerfam fubftantiam, quam poffederat, & animas, quas fecerat in Haram*, ideft, pecora. At non video, quomodo hoc loco anima pecus poffit fignificare? Cùm in pecore à facie gladij non fuiffet tutum cibos afportare; & quanuis in Scriptura facra aliquando anima genericè fumatur pro viuentibus, non conftat tamen in fpecie iumenta fignificare, quod pro-
D.Hierony. bandum erat. D. Hieronymus ita explicat: Cum animarum noftrarum periculo quæfiuimus nobis victum in deferto gentium conftituti. Etenim fugientes Hebræi de ciuitate in folitudines à facie gladij Chaldæorum, cùm portarent cibos, & efcas ad comedendum fe periculis ob-
Rab. D. Iofeph. iiciebant. Rab. D. Iofeph refert hæc verba ad tempus ante captiuitatem, & exilium, illáque explicat hoc modo: Modicum panis, quod nobis ab Affyriis comparabamus, & afferebamus ad fuftentandam vitam, rapiebant ipfi in itinere; nec erat, qui nos de eorum violentia poffet
Rab. Solomô. liberare. Rab. Solomô refert illa ad portationem frumenti ex agro cum periculo vitæ propter infidias latronum, quas in folitudine parabant. In qua etiam fententia eft Nicolaus de
Lyra. Lyra. Ego verò exiftimo vlteriùs per hæc verba exprimi curam, anxietatem, & folicitudinē, qua miferi Hebræi in finu fecretiori reconditos cibos portabant, ne à latronibus inuenirentur. Vel per animam poffumus intelligere vētrem, & ftomachum, in quo tanquam in anima cibos reconditos habebant; non fine periculo vitæ:

affirmat

affirmat enim Iosephus lib. 7. de bello cap. 13. latrunculos deuorantium fauces suffocasse, & de ipsis visceribus cibos deuoratos abstraxisse. *Ioseph.*

Pellis nostra quasi clibanus exusta est à facie tempestatum famis.

CLIBANVS, vt definit D. Hieronymus, est coquendis panibus ænei vasculi deducta rotunditas, quæ suburentibus flammis ardet intrinsecus. In pelle igitur exusta quasi clibano ostendit propheta obscænam deformitatem, quam Hebræi fame, siti, & nuditate inter hostes passi sunt. Paraphrastes habet: *Pellis nostra obscurata est.* Rab. Dauid: *Denigrata est.* Rab. Solomô: *Incaluit, & calefacta est*: ex defectu quippe detrimenti arescebant, &, vt inquit Figuerius, febricitabant Iudæi. Igne ergo combusta pellis illorum, & instar clibani denigrata & dissipata est. Ad hunc modum inquit Iob, depingens miseriam suam, cap. 9. *Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum, & derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos.* Diuus quoque Hieronymus ita se in eremo, macie & abstinentia confectum describit: Horrebant » sacco membra deformia, cutis mea propter in- » commoda squallida carnis Æthiopię situm ob- » duxerat. »

D.Hieron. *Paraphrast.* *Rab. Dauid.* *Rab. Solomô.* *Figuerius.* *Iob c. 9.* *D.Hieron.*

In hac autem clibani similitudine meritò

impij

impij Iudæi ponuntur, qui in futuro iudicio, & mœrore animi; & pœnali excruciatione torquendi sunt, quia contra regulas Domini obstinata mente vixerunt. Vnde scriptum est in Psal. 20. *Pones eos, vt clibanum ignis in tempore vultus tui. Tempus* verò *vultus Domini* dies iudicij est, quando filius hominis videbitur sereno vultu, bonis, truculento verò: impiis hominibus.

Psalm. 20.

Mulieres in Sion humiliauerunt, & virgines in ciuitatibus Iuda.

PROPRIVM vitium est militum, victoriis insolentium, in vrbis direptione mulieres, hoc est, iam defloratas, opprimere, & virgines constuprare, quod fecerunt Chaldæi, ciuitatem sanctam Iuda diripientes, sicut prædictum erat Deuteron. 28. illis verbis: *vxorem accipias, & alius dormiat cum ea.* Et infrà: *Filij tui, & filiæ tuæ tradentur alteri populo videntibus oculis tuis.*

Deut. 28.

Principes manu suspensi sunt, facies senum non erubuerunt.

D.Thomas. DIVVS Thomas opinatur nobiles Hebræorum equuleo tortos fuisse; vt thesauros

ſauros prodere,& manifeſtare cogerentur. Lyra inquit, quòd aliqui de principibus Reipub. quorum conſilio rebellauit Sedechias, in exemplum & criminis deteſtationem fuerunt manibus Chaldæorum in patibulis ſuſpenſi; nec enim, vt notat Gloſ. interlineàris, crudelitas hoſtium pepercit ætati, aut dignitati; ſiquidem vultum ſenum, in executione ſupplicij non erubuerunt. Dionyſius, & Rab. D. Ioſeph exiſtimant, principes Ieruſalem, doloris & honoris calcaribus agitatos, propria manu ſe ſuſpendiſſe, ne oculis filias ſuas violari, & vxores eludi cernerent. Ego verò exiſtimo hoc ſupplicij genus pertinere ad vltimam deſolationem Ieruſalem, vt qui hæredem gloriæ in ligno ſuſpenderunt, ab hoſtibus quoque patibulis ſtrangulati ſuſpenderentur.

Lyra. *Gloſ.* *Dionyſ.* *Rab. Ioſeph.*

Adoleſcentibus impudicè abuſi ſunt, & pueri in ligno corruerunt.

NEFANDO Sodomiæ peccato, vel mollicierum vitio barbari milites in vrbis direptione oppreſſerunt adoleſcentes, ac pueros Hebræorum. Et quidem iuſto Dei iudicio. Namq; ipſi quoque Iudęi adeò hoc vitio laborabant, vt publicum & infame in Ieruſalem effœminatorum lupanar haberent. Vnde in eo peccato, in quo turpiter errarunt, meritò vexati ſunt. *Pueri* autem *in ligno corruerunt*, quia

barba

barbarorum turpitudinem, & effrænatum ardorem fugientes fustibus cædebantur. Rab. Solomô, & Rab. D. Ioseph. asserunt pueros corruisse oppressos pondere lignorum, quæ portare humeris vltra vires cogebantur. Paraphrastes quoque affirmat adolescentes molas portasse, coactos ad fatigationis augmentum: imò & D. Ioseph ait, quòd Chaldæi loco iumentorum vtebantur in tundendo frumento adolescentibus Hebræis ad versandas molas trusatiles. Ego quoque existimo pueros in ligno corruisse, vel quoniam in cunabulis ligneis cædebantur, quia nulli ætati parcebatur, vel quoniam ad crudelitatis spectaculum ipsos pueros & infantes è sinu matrum rapientes in lignis suspendebant crudelissimi tortores.

Rab. Solomô. *Rab. D. Ioseph.* *Paraphrast.* *D. Ioseph.*

Senes defecerunt de portis; iuuenes de choro psallentium.

IN portis Ierusalē prætores, seu iudices ordinarij ad audiendas litigantium causas sedebāt; ita enim Deut. 16. habetur: *iudices, & magistros constitues in omnibus portis tuis.* Et cap. 22. ibi: *Ferent secum signa virginitatis eius ad seniores vrbis, qui in porta sunt.* Dauid Psal. 126. alludens ad hanc consuetudinem inquit: *Non confundetur, cùm loquetur inimicis suis in porta.* Amos etiam cap. 5. legitur: *Constitue in porta iudicium.* Cùm autem *sileant leges inter arma*; capta vrbe cessarunt iudicia, senatoréque ac iudices non ferebant

Deut. 16. *cap. 22.* *Psal. 126.* *Amos c. 5.*

bant sententias. Vnde Paraphrastes habet: *Senes de porta Sanedrin cessauerunt.* Namque, vt est sententia D. Hieronymi, *non potest ibi esse maturitas consilij, vbi nullus est ordo iudicij.* Defecerunt quoque iuuenes de choro psallentium; quoniam vbi dolor & gemitus præsens est, chorus psallentium consistere non potest: *musica enim in luctu importuna narratio est,* vnde quidam afflictus dicebat: *D. Hieronym.*

Non facit ad lacrymas barbiton vlla meas.

Defecit gaudium cordis nostri: versus est in luctum chorus noster.

SICVT lætantium omnium habitatio fuit in Ierusalem, vt inquit Dauid Psalm. 86. vnde ciuitas illa gaudium vniuersæ terræ meritò appellabatur. Hoc autem gaudium cordis Iudæorum defecit deficiente Deo in cordibus eorum. Ablata namque est voluptas à Iacob, & defecit tibia, & cithara; vt dicitur 1. Machabæorum cap. 3. Hanc verò subitam mutationem prædixerat Amos cap. 18. ibi: *Conuertam festiuitates vestras in luctum, & omnia cantica vestra in planctum.* Ad hunc modum inquit Iob cap. 30. *Versa est in luctum cithara mea, & organum meum in vocem flentium.* Bene quidem dicit propheta chorum in luctum conuersum esse, vbi constat gaudium cordis defecisse, & honorem veræ religionis periisse. Quoniam, vt inquit D. Hieronymus, *vbi non est lætitia mentis, frustrà sonat melodia carminis.*

Psalm. 68. *1. Mach. c. 3.* *Amos 18.* *Iob 30.* *D. Hieron.*

Psalm.136. *minis*. Vnde Dauid Psalm. 136. in persona captiuorum inquit: *Super flumina Babylonis illic sedimus, & fleuimus, dum recordaremur tui Sion; in salicibus in medio eius suspendimus organa nostra.* Et infrà: *Quomodo cantabimus canticum nouũ in terra aliena?*

Cecidit corona capitis nostri: væ nobis, quia peccauimus.

CORONA interdum accipitur in Scriptura sacra pro *regno*, eò quod sit regale insigne, & regij captis ornamentũ, à cornu (vt aliqui
1.Reg.2. opinantur) dictum; iuxta illud 1.Reg.cap.2. *Sub-*
Luc.1. *limauit cornu Christi sui.* Et Luc. 1. *Erexit cornu salutis.* In quo quidem sensu deplorat propheta regnum sub Sedechia amissum, quasi dicat: Ab alto culmine ruit regnum Iuda, periit sceptrum, corona conculcata est. secũdò accipitur corona
Iob.19. pro gloria, & dignitate; Iob 19. *Spoliauit me gloria,*
Ier. 13. *mea abstulit coronam de capite meo.* Et Ier. 13. *Descẽdet de capite vestro corona gloriæ.* In qua significatione meritò luget hoc loco idẽ Ieremias amissam gloriam & dignitatem Hebrææ gentis, versámque in opprobrium & confusionem. Ægyptij quidẽ *annum* per *coronam* significabant, quia iu modũ coronæ vertitur annus per duodecim signa cælestia, In quo sensu intelliguntur verba
Psalm. 64. Psalm. 64. *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ, & campi tui replebuntur vbertate.* In hoc igitur sensu deplorat Ieremias annos aureos reliquisse Iudæam, & illis ferream ætatem successisse.

Væ

Væ nobis, quia peccauimus.] Intelligit Ieremias peccata, fuisse caput & causam omnium malorum, quæ ciuitatem & gentem Hebræorum inuenerunt. Illa quippe auream coronam frangunt, roseamque marcescere faciunt. Diuersæ quidem sunt coronæ, quibus capita iustorum & peccatorum in hac vita ornantur: peccatores enim superbia, diuitiis, ac voluptatibus coronari student; his enim se ornant, in his lætantur, ac gloriantur. Vnde Isaias 28. dicitur: *Væ coronæ superbiæ, ebriis Ephraim, & flori decidenti, gloriæ exultationis eius.* Et Sapientiæ 2. ita impij loquuntur, *Coronemus nos rosis, antequam marcescant.* Cuius quidem coronæ tanta est vanitas, vt vel ipsi impij quam citò defuturam confiteantur. De hac quoque corona loquitur Ieremias 13. dicens ad impios: *Humiliamini; sedete in terra, quoniam descendet de capite vestro corona gloriæ vestræ.* *Isai.28.* *Sapient.2.* *Ierem.13.*

At corona iustorum, cùm veniat de manu Domini, pretiosa, & firma est; proindeque de capite illorum non cadet, neque corrumpetur: ait enim Paulus 1. Corinthiorum capit. 9. *Illi quidem corruptibilem coronam accipiant, nos incorruptam.* Et Christus Dominus in Apocal. capit. 2. inquit: *Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Hæc autem corona non nisi magno labore comparatur, non enim, vt inquit Apostolus 2. ad Timotheos capite 2. coronabitur, nisi qui legitimè certauerit, illi verò, qui sic legitimè certauerit, erit Dominus exercituum corona gloriæ, & sertum exultationis. De illo quoque loquitur *1. Cor.cap.9.* *Apoc. 2.* *2.ad Tim. 2.*

Psal. 20. Psalm. 20. *Præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti super caput eius coronam de lapide pretioso*. Ecclesia autem in parasceue vtitur hoc quoque versu in exequiis funeralibus Christi Domini, vt ostendat, quòd quando ille Rex Regum, & Dominus dominantium stupente orbe terrarum in carne obiit, cecidit regnum Israel, decus Iudæorum excessit, corona euanuit, sceptrum conculcatum est.

Propterea mæstum factum est cor nostrum: ideo contenebrati sunt oculi nostri.

COR Iudæorum vsque ad mortem tristissimum erat: oculi caligabant à fletu, erántq; circumfusi tenebris tam propter perennem lacrymarum imbrem, quo corda dolore macerata per eosdem oculos guttatim diffundebantur, quàm propter vigilias & labores, ac tandē propter funestissimum obiectum, quod continuo cernebant. Namque erat vbique luctus, *& plurima mortis imago.*

Propter montem Sion, quia disperiit: vulpes ambulauerunt in eo.

PALÆSTINA, cuius pars est Iudæa, vulpibus abundat, vt tradunt scriptores terræ sanctæ, & satis apparet ex 15. capite librorum

Iudi

Iudicum,vbi sacra historia refert, Samsonem in vltionem Philistinorum trecentas vulpes simul captas binas per caudas inter se coniunxisse. Et Canticorum 2.inducitur sponsus sodalibus suis Cant.2.
mandans,vt in gratiam sponsæ, quæ mox ventura sperabatur, ad visendas vineas florentes, deliciisque agri fruendum, omnes vulpes capi & interfici diligenter curarent, ne propter vulpium importunam multitudinem aliquid foret, quod sponsæ suæ præsentis oculos offendere posset: *Capite* (inquit) *nobis vulpes paruulas,quæ demoliuntur vineas.* Et cùm tam frequens fuerit genus vulpium in Palæstina, vbi erant alicuius magni ædificij ruinæ, ibi ingens illarum agmen inueniebatur. Illæ enim in desertis locis, & in macereis abscondi solent: proindeque funditus euersa Ierusalem, in ruinis templi, & ædium, vulpes habitabant,per montemque Sion discurrebant. Ita igitur luget propheta dicens: Propterea mœstum factum est cor meum,& ideò contenebrati sunt oculi mei, quoniam mons Sion disperiit: tactus enim fulgure iræ Domini ab alto culmine ruit: ædificia sunt solo æquata: per vias Sion, quibus totius Iudææ populus ad sacrum templum inuisendum, dum illud staret, agminatim confluebat, nunc vulpes ambulant. Hanc autem vrbis solitudinem amaro quoque animo lugebat Michæas,dum cap.3. inquit:*Sion quasi ager arabitur,* Mich.3.
& Ierusalem, quasi aceruus lapidum erit.

At non materiales tantùm vulpes, sed alias magis perniciosas in monte Sion habitasse meo quidem iudicio luget propheta: namque

in Scriptura sacra Pseudoprophetæ cóparantur vulpibus, in maceriis & desertis locis habitantibus. Ezechiel namque cap. 13. inquit: *Quasi vulpes in deserto propheta tui Israel erant.* Quem locum eleganter explicat insignis Ludouicus de Soto maior cap. 2. Canticorum in hunc modum: Prophetæ tui in Israel sic sunt fallaces, fraudulenti, & versuti, sic etiam furaces, rapaces; & crudeles, vt vulpes in locis desertis, vel etiam in maceriis & sepibus vuarum, latentes, atque insidiantes vuis, & domesticis auibus: latent enim plerumque vulpes in vinearum maceriis, & parietinis, indeque insidiantur, & deprædantur. Similiter & Pseudo-prophetæ instar vulpium, occasionem, opportunitatémque illa Ezechielis ætate vndique captabant, quasi ex incidiis, vt Domini vineam, hoc est, Ecclesiam Israeliticam deuastarent. Hos igitur falsos prophetas habitasse in Ierusalem, & in templo Domini meritò luget noster Ieremias; hi enim, vt inquit Persius Satyra 5.

Astutam seruant sub pectore vulpem.

Proindeque eorum genium maximè Ecclesiæ synceritati repugnat. Namque, vt inquit Diuus Hieronymus, in Apologia contra Rufinum: *Peccare hominis est, insidias tendere diaboli.* Vnde Christus Dominus Lucæ 13. Herodem non solùm crudelem, sed etiam fallacem, versutum, & callidum vulpis vocabulo significauit propter insignem eius astutiam, & malitiam; qua vtebatur aduersus eum, quem tamen aliâs timebat. Et D. Gregorius Nazianzenus

Ezech. 13.
Ludou. de Soto Maior.
D. Hier.
Luc. 13.
D. Gregor. Nazianz.

zenus, oratione tertia, quæ est contra Iulianum imperatorem apostatam, ait illum solitum fuisse leoninæ pelli vulpinam prætexere, quia scilicet non solùm vi, & potentia, sed etiam dolo & simulatione vtebatur aduersus Christianos. Et fortè iuxta hunc explicandi modum etiam luget Ieremias, Chaldæos tyrannicè possidere Ierusalem; non enim tam in ferocitate erant leones, quàm in astutia vulpes.

Nos per vulpes accommodatissimè possumus intelligere peruersos hæreticorum doctores, qui ambulantes in monte Dei, hoc est, in Ecclesia, argumentorum calliditate seducunt corda innocentium, & demoliuntur vineas ibi plantatas, & arbusta omnia, ne floreant in fide Orthodoxa. Ita enim intelligit D. Gregorius Magnus comment. in Cantica, cap. 2. Theodoretus ibidem, qui apertè inquit per vulpes hæreticos innui, qui animos oppugnant, & dolis ac fraudibus eos decipere conantur, qui nondum sunt in fine confirmati. D. Ambrosius ad illa verba Christi Domini Matthæi cap. 8. & Lucæ 9. *Vulpes foueas habent*, comparat hæreticos vulpibus. Vulpes (inquit ille) est animal plenum fraudis, foueam parans, & in fouea semper latere desiderans. Tales sunt hæretici, qui domum sibi parare nesciunt: Iacob in domo habitat, hæreticus in fouea, vt fraudulenta vulpes gallinæ illi Euangelicæ dolum semper intendens, de qua scriptum est: *Quoties volui congregare te, sicut gallina congregat pullos.*

D. Gregor. Magnus. Theod.

D. Ambros. Matth. 8. Luc. 9.

pullos. Meritò ergo foueas habent, quia domum, quam habuerant, perdiderunt. Ideo Samsom ad caudas vulpium faces ligauit, & immisit in messes alienigenarum, eò quod hæretici fructus alienos incendere conantur, latratibus magis sonori, quàm vocibus expoliti. Hæc Ambrosius.

Lugeamus ergo cum propheta has vulpes hæreticorum habitare in monte Sion, & secuti cōsilium Salomonis 2. Cantic. dum paruæ sunt, antequam demoliantur vineam Domini, capiamus illas, confundamus, & omnibus artibus à monte sancto exterminemus.

Tu autem Domine in æternum permanebis: solium tuum in generatione, & generationem.

ENVMERATA multitudine tribulationum, quas passi sunt Iudæi, iam æternam Domini potentiam & maiestatem, soliúmque sublime commemorat Ieremias, vt tandem in throno gratiæ inueniat misericordiam, & auxilium opportunum, ne diutiùs sub hostium tyrannide constituti penitus desperatione fideles Hebræi deficiant, quasi dicat: Ierusalem terrena disperiit, quia fragilis & caduca erat: tu autem Domine, qui in æternum permanes, cuiusq; solium in omnes æternitates perdurabit iacentem Ierusalem potes vel solo verbo

verbo reſtaurare. Dauid quoque eiſdem vtitur verbis Pſalm. 101. dicens: *Tu autem Domine in æternum permanes, & memoriale tuum in generatione, & generationem.* Et iterum: *Tu autem idem ipſe es, & anni tui nō deficient.* Quare Dominus Exod. 3. confidenter inquit: *Ego ſum, qui ſum.* Nam ille ſimpliciter eſt; cæteri hominum, & angelorum in ipſo ſunt, & qui ſine ipſo eſſe voluerūt, ceciderunt. Cecidit Lucifer, dum inquit: *Ero ſimilis Altiſſimo.* Ceciderunt primi parentes, dum à ſerpente decepti, eſſe voluerunt ſicut Dij, ſcientes bonum & malum. Qua propter interrogatus Ioannes Baptiſta, an eſſet Meſſias, aut vnus ex prophetis? Ioan. cap. 1. egregiè reſpondit: *Non ſum.* Ne fortè dicens: *Sum:* titulum expreſſiuum eſſentiæ, & exiſtentiæ diuinæ ſibi petulanter aſſumere videretur. Homines mutari poſſunt, cùm ad vtramlibet contradictionis partem ſint flexibiles. At Malachiæ 3. inquit Deus: *Ego Dominus, & non mutor.* Solium autem Domini permanet in generatione, & generationem, quoniam (vt inquit Iſaias cap. 66.) *Cœlum illi ſedes eſt, terra autem ſcabellum pedum illius.* Cœleſte autem domicilium, cœleſtiſque thronus corrumpi non poteſt. Dauid Pſal. 44. inquit: *Sedes tua Deus in ſeculum ſeculi.* Archangelus etiam Gabriel Lucæ 1. beatiſſimæ virgini dixit: *Regni eius non erit finis.*

Pſal. 101. *Exod. 3.* *Ioan. 1.* *Malach. 3.* *Iſai. 66.* *Pſal. 44.* *Luca 1.*

Quare

Quare in perpetuum obliuiſceris noſtri? derelinques nos in longitudine dierum.

QVOMODO in Deo accipienda ſit obliuio & recordatio; expoſuimus iam initio huius orationis ad illa verba. *Recordare Domine quid acciderit nobis*. Obliuiſci enim Deum, idem eſt, quod permittere peccatorem in ſupplicio permanere. Loquitur autem propheta more humano; quaſi Deus oblitus videatur ſpernere illos; quibus citò non auxiliatur: Cùm tamen dicat David Pſalm. 102. *Non in finem iraſcetur Dominus, neque in æternum comminabitur*; Et Pſalm. 94. *Non repellet Dominus plebem ſuam.* Vt enim egregiè notat Diuus Hieronymus, non ita Deus Iudaicam plebem repulit, vt vltra Iudæis miſereri noluerit: ſed cæcitas ex parte contigit in Iſraël, donec plenitudo gentium ſubintraret. Nunc quoque quotidie, ſicut dudum fecerat, aliquos ad fidem Chriſti, & Eccleſiaſticam dignitatem conuertit, vt electio ſalua fiat. Nam ex ipſa plebe, quam ſibi Dominus in patribus cognoſcitur elegiſſe, extiterunt Prophetæ, & Apoſtoli; qui Domino ſyncera mente crediderunt. Ita egregiè notauit Paulus, ad Romanos 11. dicens: *Numquid repulit Dominus plebem ſuam, quam præſciuit? Abſit. Nam, & ego Iſraëlita ſum ex ſemine Abraham*

Pſalm. 102. *Pſal. 94.* D. *Hieron.* *ad Rom. 11.*

Abraham de tribu Beniamin. Hæc Paulus. Ego verò credo, quod tunc ſimpliciter repellit Deus peccatores in finem, quando ex altitudine & eminentia ſuæ ſcientiæ præuidet peccatorem vſque ad finem in peccato permanſurum, ideóque iuſtiſſimè damnandum, & à facie ſua repellendum. Quandiu autem peccator manet in peccato, dici poteſt repulſus in finem à facie Domini, non ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, nimirum ſecundùm ſtatum præſentis iuſtitiæ. Dicit autem propheta, populum Iudæorum in longitudinem dierum repulſum, quoniam prophetiæ oculis vidit priorem deſolationem per Chaldæos factam per ſeptuaginta annorum ſpatium duraturam: ſecundam verò, diuturniorem, vt pote ad finem ſeculi.

Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur: innoua dies noſtros, ſicut à principio.

IN peccato duplicem reperiri deformitatem docet Diuus Thomas prima ſecundæ, quæſt. 77. ar. 6. ad primum, ſcilicet auerſionem à Deo ſummo bono, & conuerſionem ad bonum commutabile, vt pote creaturas. Quando enim peccator peccat, Deo terga vertit, & ad creaturarum pulchritudinem ſummo amore conuertitur. Cùm autem inter Deum & peccatum infinita diſtantia reperiatur, qualis planè *D. Thomas.*

datur

datur inter summum ens,& purum nihil,efficitur, vt per peccatum infinitè distet peccator à Deo in profundum miseriarum lacum detrusus, in quem cùm voluntate propria se detrudere potuisset, subleuare tamen non potest:in-
Osea 13. quit enim Deus per Oseam cap.13. *Perditio tua Israël: tantummodo in me auxilium tuum.* Namque vt peccator surgat, requiritur auxilium brachij Domini, manúsque extensa, qua de lacu miseriæ,& ore leonis peccatorem liberet; nisi enim Deus per misericordiam conuertatur ad nos, nos ad illum conuerti non possumus.Non enim
Luc. 22. priùs Petrus Lucæ 22.exiuit foras,&fleuit amarè, quàm eum Dominus *pietatis* oculis respexisset. Sic, vt nos etiam ad illum conuerti possimus, priùs ille nos motione interiori gratiæ præuenientis suauiter & inclinatiuè morali modo debet mouere; & licèt nulli hominum deneget illa auxilia, cum quibus spectata libertate arbitrij homo potest conuerti, non tamen illa semper dat in illo rerum ordine cum talibus ac talibus circũstantiis, cum quibus in sensu composito,vt loquuntur Theologi, non potest non resurgere, & conuerti. Hanc Catholicam veritatem vbique clamat Scriptura sacra:
Ieremias 13. id enim significat Ieremias hoc loco, dum inquit: *Conuerte nos Domine ad te,& conuertemur.* Et cap.31.inquit Dominus: *In charitate perpetua dilexi te,& ideò attraxi te miserans.* Et iterum: *Ædi-*
Psalm.49. *ficabo te,& ædificaberis virgo filia Israël.* Et Psal.49. inquit Dauid: *Conuerte nos Deus salutaris noster, & auerte iram tuam à nobis.* Quam orationem singulis diebus initio completoriæ horæ Ecclesia

clesia repetit. Psal. quoque 70. habetur: *Deus conuerte nos, ostende faciem tuam, & salui erimus.* *Psalm. 70.*
Oseæ quoque cap. 11. ait Dominus: *In funiculis Adam traham eos in vinculis charitatis.* Cantico- *Oseæ 11.* *Cantic. 1.*
rum quoque cap. 1. petit sponsa auxilium à charissimo sponso, vt ipsum sequi possit his verbis: *Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Quo in loco obseruat Doctissimus Soto Maior verbum [*trahendi,*] quo vtitur sponsa, referendum ad illum actum, quo Deus interdum pro sua bonitate aliquas animas peculiariter ad se trahit, & ad virtutis perfectionem adducit; quemadmodum olim patriarcham Abraham ad se singulariter attraxit de Vr Chaldæorum, vt esset perfectus: & sicut ad se attraxisse in Euangelio legimus, Apostolos, & discipulos. Fieri enim non potest, præsertim in tanta infirmitate & corruptione naturæ humanæ, vt anima nostra ita promptè, celeriter, alacriter, & constanter Deum sequatur, vocémque eius audiat, sicut par est, nisi ab ipso singulariter, & specialiter, efficaciter atque fortiter trahatur auxilio, seu tractu quodam gratiæ occulto, & inuisibili supernaturali, & suauissimo, vsque adeò, sicut ait Augustinus lib. de prædestinatione sanctorum cap. 8. & 5. confessionum cap. 1. vt ei à nullo corde resistatur. *Sot. Mai.* *Augustinus.*

De hac autem conuersione, seu motione, tractúque suaui, & forti, intelligendum est illud quod ait Christus Dominus Ioan. cap. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi pater meus traxerit eum.* Vbi Augustinus ita habet: Magna gratiæ commendatio! nemo venit, nisi tractus, quē trahat, *Ioan. 6.* *Augustinus.*

& quem

& quem non trahat: quare illum trahat, & illum non trahat, noli velle iudicare, si non vis errare. Semel accipe, & intellige: Non traheris, fac vt traharis, & noli te cogitare inuitum trahi, trahitur animus, & amore. Porro si Poëtæ dicere licuit: *Trahit sua quemque voluptas*; quantò fortiùs dicere debemus trahi hominem ad Christum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur iustitia, &c. Hæc Augustinus. Illud autem est maximè obseruandum, quòd quanuis anima hominis, quando à Deo conuertitur, moueatur, & trahatur fortiter, & efficaciter, nihilominus suauiter trahitur & conuertitur, nec vllam violentiam patitur, sed salua libertate innata agitur, atque agit, ita vt possit dissentire, si velit, Deo excitanti, atque vocanti, vt satis docet Concil. Trident. sess. 6. de iustificatione can. 4. & ideò licèt pater cœlestis trahat peccatorem, quem iustificat, ipse quoque peccator sponte sua venit: non potest venire, nisi pater traxerit: at cùm trahitur à patre, liberè & alacriter currit in odorem vnguentorum ipsius. Namque vt definit Arist. 3. Ethicorum cap. 1. *Violentum est illud, cuius principium est foris, in quo nihil is, qui agit, aut patitur, confert*; sed in conuersione peccatoris ita patitur quidem peccator, quando per auxilia diuina conuertitur ad Deum, vt etiam agat, & influat, dum sponte se ipsum vocatus ad Deum conuertit.

Concil. Trid.

Aristoteles.

Innoua

Innoua dies nostros sicut à principio.

ANHELABAT Ieremias seu Ierusalem, ad antiquorum temporũ prosperitatem, ad ætatem illam auream, quando Deus speciali fauore prosequebatur Iudæos, quando erat illis in patrem, quando in brachio extenso tempore Moysis, à dura Ægyptiorum seruitute populum suum liberauit. Ita enim Lyra habet; Innoua nos, sicut à principio, quando in mirabilibus tuis introduxisti nos in terram Promissionis. Diuus Hieronymus inquit, quòd videtur hîc propheta postulare, vt sicut à principio primos patriarchas Abraham, Isaac, & Iacob plena fide & electione sibi Deus fecit esse deuotos, ita & ipsos eodem munere nunc sibi fideles ac deuotos facere dignetur. *Lyra.* » » » *D.Hieron.*

Hoc est autem hominum genium, vt semper tempora transacta præsentibus meliora iudicent. Hinc Cicero in suis orationibus frequenter exclamabat: *ô tempora, ô mores.* Quin etiam beatus Iob cap. 29. *Quis mihi tribuat, vt sim iuxta menses pristinos secundùm dies quibus custodiebat me: quando splendebat lucerna eius super caput meum.* Dauid quoque Psalm. 102. iuuentutem suam sicut aquilæ renouandam desiderabat. Imò & prouerbio Lusitano dicimus, quodcúmque tempus transactum melius fuisse, quàm præsens. Et ratio est, quoniam obliuiscimur præteriti laboris, & recordamur præsen- *Cicero.* *Iob 29.* *Psal. 102.*

præſentis; vt pote quoniam præſentia vrget, & apprehẽſio illius frequentiùs torquet. Præterea, quoniam tempore tranſacto nos adoleſcentiores conſideramus, & à fine magis diſtantes, quàm in præſenti. Tertiam denique rationem aſſignat Martialis, lib. 5. Epigram. fundatam in inuidia hominum inter ſe, quæ ex ſequentibus verſibus colligi poteſt:

Eſſe quid hoc dicam, viuis quòd fama negatur,
Et ſua quòd rarus tempora lector amat?
Hi ſunt inuidiæ nimirum Regule mores,
Præferat antiquos ſemper vt illa nouis.
Sic veterem ingrati Pompei quærimus vmbram,
Et laudant Catuli vilia templa ſenes.
Ennius eſt lectus ſaluo tibi, Roma, Marone,
Et ſua riſerunt ſecula Mæoniden.

Faciunt etiam in huius rei ſententiam illa carmina Horatij:

Virtutem incolumen odimus,
Sublatam ex oculis quærimus inuidi.

Verùmtamen cùm propheta Ieremias dirigat orationem ſuam ad ſalutem animarũ, magis conſentaneum eſt referri orationem, iuxta expoſitionem Diui Hieronymi, ad bona ſpiritualia, quibus olim Iudæi tempore Patriarcharum fruebantur, quàm ad deſideria temporalium bonorum.

Sed proiiciens repuliſti nos iratus es contra nos vehementer.

IN Hebræis codicibus non finitur hoc versu oratio Ieremiæ, sed terminatur in superiori versu, ne cum iracũdia propheta videatur perorasse: at in Latinis ita finitur. Non autem, vt inquit D. Hier. hæc dicit Ieremias, quasi desperando de salute populi sui, sed vt dolorem maximũ de contritione & diuturna abiectione gentis suæ manifestet. Vidit enim prophetico spiritu, Iudæos non esse credituros in Euangelium: imò & ipsum hæredem gloriæ trucidaturos, ac propterea iustissimè repellendos à Domino, ideo luget ac contristatur. Cæterùm de conuersione vltima nullo modo dubitauit: imò & plenissimè credidit, quòd in semine Abraham, quod est Christus, benedicẽdæ erant omnes gentes, & quòd de fructu ventris Dauid exiturus erat dux, qui sederet super sedem illius, & saluum faceret populum Domini. D. *Hier.*


Gilibertus Antisidorensis diaconus, notat, repulsionem à Deo dupliciter in ordine ad peccatorem posse considerari. Prima repulsio est, qua tẽtatori tradimur. Secunda cùm tentanti succumbimus. Ad tentandum sine ira Dei repellimur, de qua repulsione Psal. 94. dicitur: *Non repellet Dominus plebem suam.* Quãdo autem vincimur, & postea non pœnitemus, irascitur Deus vehementer, & de hac ira loquitur Psal. 89. dum inquit: *Quis nouit potestatem iræ tuæ?* Aliquando Deus irascitur, vt pater, quando verbis increpat delinquẽtem, & facit illum pœnitentem. Irascitur autem aliquando, vt Dominus, cùm corripit statim vindictam sumẽs de peccatis. In quo sensu loquebatur Moyses Exod. 32. dicens: *Ne irascatur furor tuus contra populum tuum.* Denique vt Iudex tandem irascetur in finali iudicio, cùm Psalm. 94. Psalm. 89.

dixerit: *Ite maledicti in ignem æternũ.* Non timet ergo propheta, quòd Deus, vt pater irascatur in Iudęos; timet verò maximè, ne vt iudex, & Dominus potentissimus, in eosdem irascatur.

Quæres autem, quorsum cum querela propheta Ieremias suam terminet orationem, diuinum Numen offensũ lenire & placare desiderans, cùm sancti à Deo misericordiam dũ volũt impetrare, multitudinem peccatorum suorũ recogitantes, semper Deum citra condignũ in ipsos irasci confiteantur? Forsan redolet hæc oratio superbiam Iudæorum? Minimè. Sed planè Ieremias Deũ, non vt Dominũ, vel iudicẽ alloquitur, verùm vt patrem clemẽtissimum, & redemptorẽ deprecatur. Et ideò confidenter obiicit populũ dilectum à conspectu diuino repulsum, iráque Domini vehemẽter in filios sæuiisse, cũ lacrymis, & dolore cordis repræsentat; quasi dicat: Repulisti nos Domine à Sãctuario in Babylonẽ: at quomodò viscera patris tãdiu captiuos filios inter barbaras gẽtes exulare permittũt? Si mater obliuisci non potest infantem vteri sui, ne quęso, pater indulgentissime, tãdiu iratus nostri obliuiscaris. Hæc est sane mens Ieremiæ in sua peroratione. Nobis autem magnum est consolationis argumentum non posse Deum O. M. in nos vehementer irasci: *Ira* enim (vt definiũt medici) *est effervescentia sanguinis iuxta cor*: postquam autẽ in cruce cor Christi seruatoris optimi perforatum est, quidquid sanguinis intus erat, foras continuò exiuit, vsque adeò, vt deficiente sanguinis vnda, aqua pariter de latere sacratissimo efflueret. Cùm ergo in corde sanguis deficiat, ira vehemens in illo contra nos reperiri non potest.

FINIS.





INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, QVI IN HOC OPVSCVLO CITANTVR.

Prior numerus, Caput: posterior, paginam denotat.

Ex libro Genesis.

V 2 22. *Tolle*

Ex libro Exodi.

Ex libro Leuitici.

Ex libro Numeri.

Ex libro Deuteronomij.

Ex libro primo Regum.

Ex libro Iob.

Ex libro Psalmorum.

39. *Expe*

103. Con

Ex libro Prouerbiorum Salomonis.

Ex Canticis Canticorum.

Ex

Ex libro Sapientiæ.

Ex libro Ecclesiastici.

Ex Isaia.

5. *Vinea*

30. *Emi*

Ex Ieremia.

Ex Ezechiele.

Ex Daniele.

Ex Osea.

Ex Ioële.

Ex prophetia Amos.

Ex pxophetia Abdiæ.

Ex prophetia Ionæ.

Ex Michæa.

Ex Nahum.

Ex Habacuc.

Ex Sophonia.

Ex Marco.

Ex Luca.

Ex

Ex epiſtola ad Hebræos.

Ex Apocalypſi.



INDEX RERVM NOTABILIVM QVÆ IN HOC OPVSCVLO leguntur.

Numerus ad paginam Lectorem remittit.

A

C

Cali

D

Diem

E

F

Fidei

H

I

Pul

L

De

M

N

T

Tyran

V

FINIS.